IN M. T. CICERONIS

quãplurimos locos caſtigationes
HENRICI STEPHANI:
partim ex eius ingenio, partim
ex vetuſtiſſimo quodã & emendatiſſimo exemplari.



EX OFFICINA HENRICI Stephani Pariſienſis typographi.

AN. M. D. LVII.

HENRICVS STEPHANVS
Lectori S. D.

EDITVM nuperà me fuit quoddam opuſculum, lector, Ciceronianum Lexicon Græcolatinum inſcriptum, id eſt Lexicon ex variis Græcorum ſcriptorum locis à Cicerone interpretatis collectum. In quo quæ habentur illius pariter & authorum Græcorũ verba, vt quàm poſſent maximè emẽdata exhiberem, multũ elaboraui. Verùm in corrigẽdis quidẽ Græcis quantum cura & diligentia mea proficerem, non me pœnitebat: at in caſtigandis Latinis nequaquã profectò mihi ſatiſfaciebam, imò verò multam operã fruſtra conſumere mihi videbar. In cauſa erat quòd in Græcos, ex quibus excerpti loci illi erãt, ſcriptores varias ex diuerſis vetuſtis codicibus lectiones adnotatas haberem: in Ciceronis autem libros eos vnde maxima ex parte petitæ illæ interpretationes erant, ne ſyllabam quidem ex antiquis exemplaribus adnotatam à me inuenirem vllã. Atenim (dicet aliquis) non parum ad eam rem Græcorũ cum Latinis vtilis eſſe poterat collatio. Hoc ego fateor: ſed ex ingenio atque ex coniectura quæ corrigere poſſem non deerant, at quæ vellem & auderem emendare, non erant. Quare? Nimirum ne, qui omnes qui id facerent, temerarios iudicabam ſempérque iudicauerã, cuius criminis alios arguebam, eodem ipſe damnandus iure optimo eſſem. In ipſo igitur contextu nihil immutare audens, ad omnia propemodum quæ occurrerunt menda quaſi cõniuere volui, tãtiſper dum mihi tantum otii ſuppeteret vt illorum caſtigationes vno complecti libellulo poſſem. Nunc verò quum ad eorum locorum caſtigationes adnectere quas itidem ex mea coniectura in alios quoſdam petieram: his ipſis rurſus eas quas

in alios nonnullos ex vetuſtiſſimo quodam exemplari adnotatas habebam,attexere viſum eſſet: tandem ex libellulo primùm quidem libellum, deinde verò librum factum eſſe ſenſi. Qua in re meum tibi conſilium probaturum me ſpero,lector:quippe quũ hac ratione & tuis ſtudiis aliquid adiumenti attulerim,& interim vt temeritatis(cuius,vti dixi, alios arguebam)conuinci poſſem,non cõmiſerim. Qui ſint autem ii quos huius criminis reos agã,atque etiam peragam,rogas? Nimirũ iſti ſunt potiſſimum qui ſe Ciceronianos vocitãt.quod nomen quia minimè Ciceronianum, ſed ne Latinum quidem ea in ſignificatione mihi videtur eſſe:(neque enim Antonii imitator appellatur Antonianus,ſed Antoniaſter) Ciceroniaſtros, aut Ciceronicolas,aut Ciceronipetas,nouis quidem, ſed ſignificantioribus & ad linguæ Latinæ normam magis directis nominibus appellare ſoleo. Libentius tamen Ciceronitribas, nec ſine exemplo,nuncuparem. Hi quum ſeſe Ciceronis non familiares tãtùm,ſed veluti domeſticos eſſe perſuaſum habeãt,tantũ ſibi iuris in eius ſcripta poſtulant, vel arrogãt potius,vt in iis quæcunque libet & quoties libet,figere ac refigere prorſus ſibi licere exiſtiment. adeo vt non iam Ciceronicolarum ſermo ex Ciceroniano, ſed ex Ciceronicolarum ſermone æſtimãdus illis Ciceronianus videatur. Alius quæcũque apud Ciceronẽ ſemel tantùm legit,ſibi ſuſpecta eſſe ait:& hoc vel illud verbum admittere nõ audet,ne ipſum in ſuſpicionẽ violati Ciceronianiſmi adducat Ciceronem. Alius ſibi teretes ſuas aures conſulendas eſſe dicit,& ſiqua ſint quæ parũ iudicio earũ probentur,in iis non ſatis Ciceronianũ Ciceronem eſſe clamitat. In aliis Eſt huic diuerſum vitio vitiũ propè maius. Sunt enim tanta(vt ita dicam)ſuperſti-

tione in colendo Ciceronis numine imbuti,vt quæcunque apud eum reperiunt (quæ enim ex craſſo ebrii librarii aut dormitantis typographi errore ſunt profecta,à ſynceris,vt ſunt acri prædit iudicio, diſcernere non poſſunt) tanquã verè Ciceroniana amplexentur, ſuſpiciant & admirentur, reuereantur & adorent. Imò verò ſæpe accidit vt corruptiſſima quæque pro ſynceriſſimis habeant, in iis vſurpandis ſibi maximè placeant, & ſe tum demum Ciceronis germaniſſimos eſſe, magno cum faſtu prædicent. Teſtis eſſe poſſit vel ille,ex maiorum gentium Ciceronianis vnus,qui quòd in manuſcripto exemplari neſcio quo MVLTISSIMVS inueniſſet,illud tanquam eo ipſo quòd in Tulliano exemplari haberetur αὐτόπιστον, recipiebat ἀναποδείκτως : & ita quidẽ recipiebat, vt etiam in ſua oratione,tanquã pulcherrimum aliquod emblema,includeret. Teſtes verò ex iſtis minutis & minorum gentium Ciceronianis fuerint ii qui hoc loquendi genus(vnũ enim ex plurimis,exempli cauſa, proferam) DE MVLTA NOCTE VIGILARE,quòd in omnibus typographicis editionibus & in manuſcriptis etiam,vt aiunt,exemplaribus reperiatur, Ciceronianiſſimum eſſe cõtendunt. Et tamen reliqui omnes præ illis ruſticas ſcilicet habent aures : illi ſoli teretes & religioſas, ſi diis placet,habere ſe gloriari poſſunt. Sed demus tamen, religioſis auribus non intolerabilia eſſe illa quæ modò protuli: quid quũ verba etiam nonnulla biformibus quibuſdam monſtris ſimilia Ciceronẽ loquentẽ inducunt ? veluti quum duas formas in hoc vocabulo FLOCCIFACTEON contemplari nos iubent? Quanquã ſi conſentanea ſuæ ipſorum expoſitioni loqui vellent,diuidendum illud eſſe dicerent, & in altera eius parte duas illas formas intuẽdas nobis pro-

ponerent:ita vt FACT quidẽ pro Latina,at EON habere pro Græca deberemus. Euge euge Cicero, non iam duntaxat es grandiloquus,ſed etiã mõſtriloquus cum iſto tuo *factéon*. Verùm adeo patientes ſimus vt monſtroſa etiã verba , modò rarò & parcè vſurpata, &ſuo loco poſita,ferri poſſe dicamus:quid verò quũ etiam Hebraiſmos apud M. Tulliũ relinquũt? quib' obſecro eos audiũt auribus? quo eos ore pronũtiant? Ciceroniani,credo,apud Ciceronẽ puros putóſq; Hebraiſmos teretibus & religioſis auribus audiũt, Hebraiſmos Ciceronianos ore rotũdo Ciceroniani pronuntiant. Illi illi Ciceronis nõ modò familiares, ſed etiã domeſtici tam bene de eius ſcriptis metentur, vt in illis eum μιξοβάρβαρον eſſe patiantur. quid dico μιξοβάρβαρον? imò verò prorſus ἐκβεβαρβαρωμένον. Offendẽtur illi,ſat ſcio,voce quadã ANTICAM, quã pro ANTIQVAM repoſui:at meris Hebraiſmis in foro Romano pronũtiatis qui offendi ſe diceret, ex eorũ numero nullus adhuc repertus eſt.ſed diſertiſſimus Romuli nepotũ liberè Hebraiſſat, idque tota Cornipetarũ (Ciceronipetarũ dicere volueram) audiẽte caterua. Facinus eſt,Ciceronẽ duro aliquo aut inſolenti aut humili verbo vti: ſcelus, obſoleta proferre:nefandũ flagitium, ſolœciſmũ facere: quid dicã,barbara & quidem térque quatérque barbara loquendi genera vſurpare? O miſerrimã,ſub iſtis hominibus,ſcriptorũ Ciceronianorũ conditionem! O fœdiſſimam,ſub tam præpoſterè religioſa Ciceronicolarũ natione, linguæ Latinæ ſeruitutem! Aliud præterea te volebam,lector:ſed ignoſce mihi: orationis meæ curſum interrumpit,& ipſam etiam vocẽ intercludit dolor.ita me huius indignitatis recordatio cõmouit, & tantæ calamitatis commiſeratio animum meum vſqueadeo debilitauit.

IN CICERONIS LOCOS varios caſtigationes HENRICI STEPHANI, ex ingenio.

CIC. TVSCVL. I.

Pag. v libri nuper à me editi quo Ciceronianas complexus ſum interpretationes.

Quod autem animatum eſt, id motu cietur interiore & ſuo. nam hæc eſt propria natura animi atque uis. Quæ ſi eſt una ex omnibus quæ ſeipſam ſemper moueat, neque nata certè eſt, & æterna eſt.

Nimia quorundã temeritas in caſtigandis ex ingenio locis Ciceronis, & multæ multorum non διορθώσεις, ſed παραδιορθώσεις, cur omnes propemodũ ſuſpectæ nũc ſint lectoribus caſtigationes, in cauſa fuerunt. Vnde etiam factũ eſt vt in ipſo Ciceronis cõtextu aut nihil aut pauciſſima emẽdare auſus ſim, & ad menda etiã manifeſtiſſima cõniuere, quàm religioſi lectoris cõſciẽtiæ ſcrupulũ iniicere maluerim. Alioqui certè nõ erat cur cum alios multos locos , tũ vel maximè hũc ex ingenio ſiue ex cõiectura emẽdare dubitarẽ. Nam quis *animæ*, non *animi*, legendum hîc eſſe neget? vt ſit, *hæc eſt propria natura animæ atque uis. Quæ* anima *ſi eſt una, &c.* Sed quid obſtat (dicet fortaſſe aliquis) quo minus, retinẽdo *animi*, putẽ relatiuũ *quæ* referre illũ nominatiuũ *uis*? Nimirum τὸ ἄλογον obſtat. quid enim magis abſurdum eſſet quàm dicere, Hæc natura animi atque vism, otrix (vt ita loquar) eſt vna ex omnib' quæ ſeipſam moueat? At mutato *Quæ* in *Qui*, ex quinque ſequentibus fœmininis nominibus facienda quinque maſculina eſſent. Repone igitur potius *animæ* pro *animi*.

CIC. DE VNIVERS.

Pag. XII.

Quocirca ſi is qui aliquod munus efficere molitur, eam ſpeciē quæ ſemper eadem eſt, intuebitur, atque eam ſibi proponet exēplar, præclarū opus efficiat neceſſe eſt.

Exiſtimo legendum eſſe *aliquod opus efficere*. nec enim quam ſignificationē ſatis aptam huic loco admittat vox hæc *munus*, video: & quin Cicero, quū dicit, *opus efficiat*, vt verbum, ita & nomē quo erat vſus, repetierit, minimè dubito.

Pag. XIII.

Omnia autem talia ſenſum mouent: ſenſus autem mouētia quæ ſunt, eadem in opinatione conſidunt. quæ ortum habere gignique diximus.

Mihi contendenti legendū hìc eſſe *conſiſtunt* pro *conſidunt*, vix repugnaturum vllū arbitror, qui quidē dictionis Ciceronianæ, imò verò linguæ Latinæ planē rudis non fuerit.

De iis igitur quæ diximus, hæc ſit prima diſtinctio: in omni oratione, cum iis rebus de quibus explicandum uidetur, eſſe cognatio.

Rectè quidā hìc pro voce *cognitio*, quæ in omnibus editionib' vulgatis habebatur, repoſuit *cognatio*: ſed idem dum hūc locum in vna parte corrigit, in altera deprauat, legens hoc modo, *cū iis rebus de quibus uidetur, explicata cognatio*. Quanquam ſi Græca verba his reſpōdentia voluiſſet legere, vel potius ſi intelligere potuiſſet, nimirū eandē quam nos ſequutus lectionē eſſet. Ea ſunt eiuſmodi, ὧδε οὖν περί τε εἰκόνος καὶ τοῦ παραδείγματος αὐτοῦ διοριστέον· ὡς ἄρα τοὺς λόγους, ὧνπερ εἰσὶν ἐξηγηταί, τούτων αὐτῶν καὶ συγγενεῖς ὄντας. in quibus quid difficultatis repererit, ſatis mirari nequeo. Sed hoc cōſidera lector, annō rectius legetur, *omni orationi*, & interpūctio quæ eſt poſt *uidetur*, poſt *explicandū* pone-

tur.tũc autẽ poſt *diſtinctio* notãda fuerit τελεία στιγμή.

Pag. XIIII.

Quocirca ſi fortè de deorum natura ortúque mundi diſſerentes, minus id quod habemus, animo cõſequimur, ut tota dilucidè & planè oratio exornata ſibi conſtet, & ex omni parte ſecum ipſa conſentiat, &c.

Quid valeat illud *habemus*, & quò pertineat: item quid phraſis illa hîc ſignificet, *animo conſequimur*, non intelligo: & vt intelligã non valde laboro: quum corruptum eſſe locum certò ſciam. qui quomodo emẽdandus ſit, non itidem certò ſcire me profiteor: ſed minima cum mutatione, integrum mihi redditurus eum videor, ita ſcribendo, *minus id quod habemus in animo, conſequimur, ut, &c.*

Pag. XV.

Quum rationem igitur habuiſſet, reperiebat nihil eſſe eorum quæ natura cernerentur, non intelligens, intelligente in toto genere præſtantius.

Mihi ſuſpectũ eſt hoc verbũ *habuiſſet*, eo quidem quo hîc poſitum eſt modo. nec (vt initio putaram) lectionem hanc vllo modo adiuuat locus iſte quem infrà inueniemus, Hanc igitur habuit rationem effector mundi molitórque Deus, vt vnum opus totum atque perfectum, ex omnibus totis atque perfectis abſolueret. Nam illic rationem accipit Cicero pro cauſa. quum etiam Plato quaſi ἐκ τοῦ παραλλήλου duo poſuerit, dicens, διὰ δὴ τὴν αἰτίαν καὶ τὸν λογισμὸν τόνδε. at quũ ita loquitur aliquis (ſi modò ita loquẽdum eſt) Ego quum rationem habuiſſem, vel, ratione habita, reperi nihil eſſe præſtantius, &c. videtur id ſignificare quod ſonat hæc phraſis, Rationem inire. Quid ſi verò addendum eſſe hîc quoque *hanc*, dicamus? vt ſit, *Quum hanc rationem igitur habuiſſet*. perinde ac ſi legeretur apud Platonem ταῦτα aut τάδε

λογισάμενος. Nam quod ſtatim pòſt ab eo dictũ fuit διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε, Cicero interpretatur, Quocirca. Et in loco quem modò protuli, διὰ δὴ τὴν αἰτίαν καὶ τὸν λογισμὸν τόνδε, ἐτεκτήνατο, vertit, Hanc igitur habuit rationem vt abſolueret. Sed & paulo ante hunc locũ, Græca hæc Platonis verba, τάδε διανοηθείς, πρῶτον μὲν ἵνα, &c. his Latinis reddit, Id ob eas cauſas: primùm vt, &c.

Pag. x v i.

Cuius ergo omne animal quaſi particula quædã eſt, ſiue in ſingulis, ſiue in diuerſo genere cernatur, eius ſimilem mundum eſſe dicamus.

In omnibus quas videre mihi contigit editionibus ita legitur *diuerſo genere.* facillimum tamẽ fuerat, meo quidem iudicio, hunc locum emendare, ex Platonis verbis, quæ ſunt huiuſmodi, οὗ δ' ἐστὶ τἆλλα ζῶα καθ' ἓν (ſic enim legendũ) καὶ κατὰ γένη μόρια. nimirum reponẽdũ *uniuerſo* pro *diuerſo.* Ego certè in retinenda hac ſuperiorum editionum apertè mẽdoſa lectione mihi nimium videor fuiſſe religioſus.

Quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi poteſt, & quod ex omni parte abſolutiſſimũ eſt, quũ Deus ſimilẽ mundũ efficere uellet, animal unũ aſpectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit.

Quid hæc ſibi volunt? Quum Deus vellet efficere mũdum ſimilem quod pulcherrimũ intelligi poteſt. Deeſſe datiuũ *ei* puto apertius eſſe quàm vt à me dici debeat. Is autem vel initio ſententiæ ponendus erit, vel ante *quum.* hoc videlicet modo, *Ei enim quod pulcherrimum in rerum, &c.* uel illo (ſeruando initiũ ſententiæ quale habemus) *ei quum Deus ſimilem &c.*

Rectène igitur unum mundũ dixerimus, an ſint plures & innumerabiles, dictu uerius & melius?

Non video quomodo,illud *ſint* retinēdo,aptè cohæreat hæc oratio. *dixerimus* autē ſcio elegāter vſurpari poſſe prodicere poſſimus,& reſpondere Græcorum optatiuo cum particula *ἂν*: ſed quū nihil tale ſit apud Platonē, hoc quoque ſuſpectū mihi eſt verbū. Cēſeo igitur,ne diſſoluta ſit & hians,& vt Platonica verba exprimat hæc oratio,minima facta mutatione,ita eſſe legendum, *Rectène igitur unum mūdum diximus,an eſſe plures & inn.&c.*

Pag. x v i i.

Quòd ſi uniuerſitatis corpus planum & æquabile explicaretur, neque in eo quicquam eſſet requiſitū, unum interiectum medium,&c.

Videtur legendum eſſe *quicquam profunditatis eſſet requiſitum*. addito genitiuo *profunditatis*, ſiue *altitudinis*, aut quocunque alio vſum Ciceronem veriſimile ſit ad exprimendum Græcum *βάθος*.

Pag. x x.

Itaque nec ei manus affixit, quia nec capiēdum quicquam erat, neque repellendum: nec pedes, nec alia mēbra, quibus ingreſſus corpore ſuſtineret.

Nō video quomodo poſſint hic duo eſſe ablatiui, membris(cuius relatiuum eſt *quibus*)& *corpore*. Suſpicor igitur legendū eſſe *corpus*,vt ſit nominatiuus verbi *ſuſtineret*:aut *corporis*,vt iūgatur cum ingreſſus. Sed illud multo malim. Græca verba his poſtremis Latinis reſpondentia ſunt hæc, *οὐδὲ ὅλως τῆς περὶ τὴν βάσιν ὑπηρεσίας.*

Pag. x x i i i.

Atque ita quum alterum eſſet exteriorem amplexus orbem, illum eiuſdem naturæ, hunc alterius nominauit. eámque quæ erat eiuſdem, detorſit à latere in dextram partem, hanc autem citimam à media linea direxit ad læuam. Sed principatū dedit ſuperiori, quam ſolam indiuiduam reliquit.

Variis modis deprauata eſt hæc periodus. nam primùm deſunt quædā verba, deinde fœminina multa pro maſculinis poſita ſunt, poſtremò & vnũ alterius locũ videtur occupare vocabulũ. Ego totũ hũc locum ita legendũ eſſe putauerim, *Atque ita quum alterum eſſet exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem, illum eiuſdem naturæ, hunc alterius nominauit. eúmque qui erat eiuſdem, áctorſit à latere in dextram partem: hunc autem citimum à media linea direxit ad læuã. Sed principatum dedit exteriori, quẽ ſolum indiuiduũ reliquit.* Quod attinet ad illud *eámque* (quod primũ in fœminino genere perperam poſitum, vt ſequentia in eodem ponerentur fecit) non poſſet aliud referre quàm *naturam.* quid autem illud erit? Eámque naturã quæ erat eiuſdem naturæ. Legendum igitur conſtat *Eúmque.* ſub. orbẽ. At reponi non poteſt hìc genus maſculinum in fœminini locũ, quin & in ſequentibus omnibus reponatur. Ex *ſuperiori* autem faciendum eſſe *exteriori*, oſtendit quod ſequitur ei oppoſitum *interiorem.* Quanquã apud Platonem nõ eſt τῇ ἔξω περιφορᾷ, ſed τῇ ταυτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾷ: verùm antea dixerat τὴν ἔξω φορὰν εἶναι τῆς ταυτοῦ φύσεως.

Pag. XXIIII.

Et corpus quidem cæli ſpectabile effectum eſt, animus autem oculorum effugit obtutum.

Malim legere *aſpectabile.* vt etiam σωματοειδὲς καὶ ὁρατὸν interpretatus eſt Corporeum & aſpectabile. At Spectabilis aliud ſonat, nimirum ἀξιοθέατος, & cõſpicuus. vt, Ipſe deus vatum, palla ſpectabilis aurea.

Ratio autem uera quæ uerſatur in iis quæ ſunt ſemper eadem & in iis quæ mutantur, quum in eodẽ & in altero mouetur ipſa per ſeſe ſine uoce & ſine ullo ſono, quum eandem partem attingit, qua ſenſus cieri poteſt,

& orbis illius generis alterius immutatus & rectus, omnia animo mentique denuntiat: tum opiniones aſſ. &c.

De hoc dubitandum eſſe non puto, quin legendum ſit, *quùmque eandem partem attingit.* Sed ſunt etiã ſuſpecta mihi hæc verba, *illius generis alterius immutatus.* in Platonis certè verbis, iis quidem quæ habemus, illud *immutatus* non continetur: & ſiquis verbũ è verbo interpretari voluerit, nihil aliud ſonare cõperiet, quàm, Orbis alterius rectus incedẽs denũtiat. Quinetiam ex Platone nõ legendum fuerit *omnia animo denuntiat,* ſed, *omni eius animo denuntiat.* Tibi lector diligenter expendenda ſingula relinquo: illud *immutatus* Ciceronem non ſcripſiſſe, ſed ex aliqua voce ab illo ſcripta detortum prauè fuiſſe exiſtimans.

Pag. XXVII.

Omnes enim orbes eorum quaſi helicis inflexione uertebat: quia bifariam contrariè ſimul procedentia, efficiebant ut quod eſſet tardiſſimum, id proximum fieret celerrimo.

Platonis verba ſunt, *πάντας γὰρ τοὺς κύκλους αὐτῶν στρέφουσα ἑλίκη, διὰ τὸ διχῆ κατὰ τὰ ἐναντία ἅμα προϊέναι, τὸ βραδύτατα ἀπιὸν ἀφ' αὐτῆς οὔσης ταχίστης ἐγγύτατα ἀπέφαινεν.* Sequenda igitur eſſe ea exemplaria, quæ hîc legunt *helicis,* ac nõ ea in quibus habetur *facilitatis,* hoc quaſi dubium aliquo teſtimonio (vt quidam fecit) confirmare, quid aliud eſt quàm ſoli addere lucem velle? De hoc ergo diſputãdum nequaquam fuit: ſed de eo certe, quonam poſſet modo ablatiuus *inflexione* conſiſtere, & vnde verbi *uertebat* petendus nominatiuus eſſet. Quem quidem ego aliquandiu quæſitũ inueniſſe mihi videor, cum videlicet qui ex ablatiuo fieri debet. Lego enim, *helicis inflexio.* nam cur, vt dixit Plato *στρέφουσα ἑλίκη,* itidem Cicero *helicis infle-*

xio uertebat, non dixerit? Illi enim placuiſſe vides quaſi per periphraſin, ἑλίκων, helicis inflexionẽ interpretari: poſitæ Græcæ voci ſuam ſignificationem apponendo. quanquam Latinum hoc verbũ latius patere, nec eo propriam Græci vim ſatis exprimi, non ignorabat Cicero, Græcũ alioqui minimè adiuncturus. Quod autem ad vocem ἑλίκη attinet, ita in veteri codice ſcriptam reperi: quũ in vulgatis editionibus ſit ἕλικα, quod nomẽ nominatiui caſus eſſe poſſe nemo, qui grãmaticam vel à limine ſalutarit, vnquam dixerit. Aut igitur cum veteri codice legendum eſt ἑλίκη (facto in huius nominis declinatione vt & in aliis nõnullis metaplaſmo) aut certè ἕλιξ. Omnino enim eſſe nominatiuum qui cum ςρέφουσα iungatur, neceſſe eſt: cui nominatiuo Græco reſpõdet, vt dixi, apud Ciceronẽ *inflexio*. Quid ſi verò ablatiuũ *inflexione* retineamus, ſed ex actiuo *uertebat* paſſiuum *uertebantur* faciamus? Mihi ſanè perinde fuerit, ſiue illo modo legas, *Omnes enim orbes eorum quaſi helicis inflexio uertebat*, ſiue hoc, *Omnes enim orbes eorum quaſi helicis inflexione uertebantur.*

Cæterorum autem ſyderũ ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter ſe numero commetiuntur.

Legendum hîc eſſe *nomine appellant*, non puto tam ſtupidum eſſe vllum vt non perſpiciat, aut tam contentioſum vt negare velit. Nam quod alicubi apud eundem Ciceronem habetur, Nomen viri mortui appellare, aliud ſonat.

Pag. XXVIII.

Et cætera quidem uſque ad temporis ortum impreſſa ab illis quæ imitabatur effinxerat.

Verba Platonis ſunt hæc, καὶ τὰ μὲν δὴ ἄλλα ἤδη μέχρι χρόνου γενέσεως ἀπείργαστο εἰς ὁμοιότητα ὧπερ ἀπεικάζετο.

Quæ ſiquis conſideret, & verborum item Latinorũ Imprimere & Exprimere ſignificationes perpẽdat, quin hîc perperã poſitum ſit illud pro hoc, minime, vt opinor, negauerit. Sic Expreſſa effigies, Expreſſa imago, Expreſſa ſimilitudo, Expreſſa ſpecies, Latinè dicitur. Quòd ſiquis cõtentus his non fuerit, proferam etiam ipſius Ciceronis in 2. de Orat. locum, vbi duobus hiſce verbis quæ hîc habemus, poſitis, tertiũ illud quod quærimus, addit: quum dicit, Illum imitando effingat, atque ita exprimat, non vt, &c.

Pag. x x i x.

Dedit autem diuinis duo genera motus: unum, quod ſemper eſſet in eodẽ æquè & idem in omnibus, atque uno modo cęleraret: alterum, quod in anticam partem à conuerſione eiuſdem & ſimulis pelleretur.

Hic ego neſcio quomodo religioſus in ſeruanda aliarum editionum lectione (vt antea fueram, & vbique futurum me promiſerã) eſſe non potui. nam in eius locum aliam ex coniectura mea repoſui. Quod certè nollem factum, nõ quidẽ quin ea quæ à me repoſita eſt lectio, ſit optima, & huiuſmodi cui ne cõtentioſiſſimus quidẽ & impudẽtiſſimus repugnare poſſit: ſed quia vereor ne delicatæ iſtorũ Ciceronianorum aures antiquam vocẽ Anticam reſpuant: adeóque illi ea offenſi, meũ ſtatim librũ abiiciant. Sed quando factum negare non poſſum, vt iure factum probẽ neceſſe eſt. Audite igitur Ciceroniani. Reperiebam in quibuſdam editionibus hanc lectionem, *alterum, quod ante mouit in quam partem à conuerſione eiuſdem & ſimilis pelleretur.* In quibuſdã verò iſtam, *alterum, quod in antiquam partem à conuerſione eiuſdem, &c.* apud Platonẽ autẽ hæc legebã, τὴν δὲ εἰς τὸ πρόσθεν ὑπὸ τῆς ταὐτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾶς κρατουμένῳ. Quibus examinatis, priorem quidem illàm lectionẽ ſtatim reii-

ciēdam eſſe animaduerti,vt ab aliquo fortaſſe excogitatam,qui,dum vulnus vnū ſanare vellet, pro vno multa ipſe inflixiſſet: & poſterioribus hiſce vulneribus prius illud nobis occultauiſſet: (quod à plurimis caſtigatoribus in locis authorū quamplurimis factū fuiſſe,& ex aliis audiui & ipſe poſtea deprehendi)ad poſteriorem autem quum veniſſem, cœpi cogitare eccui veriſimile fieri poſſet Ciceronem εἰς τὸ πρόσθεν interpretatum eſſe *in antiquam partem*. Dum hæc cogito, fortè redeo in memoriam loci cuiuſdam Varronis, in quo Anticam & poſticā partem illum eadem ratione vſurpaſſe ſatis liquet. Tunc ego apud me, O ſi mihi per delicatos iſtos Ciceronicolas(ac præcipuè per iſtum qui tam emendatum ſe reddidiſſe hūc libellum gloriatur)hìc pro QV reponere c liceret. Sed licebit,opinor. quàm multa ſunt enim in hoc ipſo libro quæ nuſquam alibi apud Ciceronem reperiuntur,& ſunt non minus hoc ἀρχαϊκά? Interea lectionem hāc *anticam* libri mei margini adſcribo: quem quū poſtea operis meis dediſſem,illi ſiue iure ſiue iniuria adnotatam in margine lectionem,audacter in contextum reponunt. repoſitam, niſi libro excuſo, non animaduerto. Sed ego etſi factum hoc nollem,vti dixi,iure tamen factum contendo:& qui mihi veram non eſſe lectionem hanc perſuaſerit, ille eadem opera nullum huius libri verbum non ſuſpectum reddiderit. Si tamen nulla poſſum ratione efficere quin quorūdam Ciceroniſtarum aures ab hoc verbo abhorreant, hoc decipiātur illæ ambiguo pronuntiationis ſono: vt (quo noſtri præſertim vitio laborant) nullum in prolatione inter *quam* & *cam* diſcrimen ponatur. ita nihil ego immutaſſe videri potero. Sed ſatis & nimiū fortaſſe multa de hoc loco.Vtinā verò quàm mihi in huius loci emēdatione

ſatiſfacio,

ſatiſfacio, & aliis opinor omnibus, iudicio non carẽtibus, ſatiſfaciam: tam poſſem & in caſtigãdo proxime præcedenti ſatiſfacere. Nam deprauata eſſe arbitror illa verba, *atque uno modo celeraret*.

Quæ autem uaga & mutabili ratione labuntur, ita generata ſunt ut ſuprà diximus.

Vidimus antea & alibi iterum videbimus, perperam poſitum vocabulum Ratio pro Oratio: at hîc *ratione* pro *erratione* quis non poſitum eſſe videt? Non auſus ſum tamen contra omnium editionum conſenſum quicquam immutare.

Fuſiones autem deorũ & inter ipſos deos concurſiones, quæque in orbibus eorũ conuerſiones anteceſſionéſque eueniant: quũque inter ſe penè cõtingãt, eos &c.

Platonis verba ſunt hæc, χορείας δὲ τούτων αὐτῶν καὶ παραβολὰς ἀλλήλων, καὶ περὶ τὰς τῶν κύκλων πρὸς ἑαυτοὺς ἐπανακυκλήσεις καὶ προσχωρήσεις, ἔν τε ταῖς συνάψεσιν, ὁποῖοι, &c. Vides igitur nomẽ *fuſiones* Platonicæ voci χορείας reſpõdere, vel potius illius nominis quod ei reſpondere debet, locum occupare: quod quale fuerit nondum diuinare potui: niſi fortè putandum ſit fuiſſe quod illi valde vicinũ & Ciceronianũ etiam eſt *luſiones*. Cogitent tamen alii an magis idoneum reperiri poſſit aliud vocabulum. Nimirum intelligit Plato ita moueri & labi ſydera per cælũ certis quibuſdã motibus & quaſi in numerũ, vt choreas quodammodo ducere videãtur. Choreas autem ducere, ludentium eſt: aut ego valde fallor. Et hoc quidẽ in Latino iſto cõtextu animaduerſione indiget. At in Græco animaduertendũ eſt duos eſſe locos qui caſtigatione, vt mihi quidẽ videtur, indigeant, & à me tamen cum cæteris in calce Ciceroniani Lexici adnotati nõ fuerint: quòd videlicet, vt multos alios an-

tea,me quoque tunc feſelliſſet. Quod profectò,præſertim quod ad priorem attinet,minimè cuiquā mirum videri debet.eſt enim ſic mēdoſus vt nihil mēdi tamen præ ſe ferat : quum etiam ipſum ſit ex eorum genere quæ quendam veræ lectionis veluti colorem induerunt. Cuiuſmodi multa & mihi & aliis multis impoſuiſſe comperi. Ecquis enim quū hæc legit, παραβολὰς ἀλλήλων, καὶ περὶ τὰς τῶν κύκλων πρὸς ἑαυτοὺς ἐπανακυκλήσεις, errorem vllū ſubeſſe his particulis περὶ τὰς ſuſpicetur? Latet tamē erratum ſub iis,& maximū id quidem. Nam ſi in naturalem ordinem verba reduxeris,certè ita dices, χορείας τούτων, καὶ παραβολὰς ἀλλήλων, καὶ ἐπανακυκλήσεις τῶν κύκλων πρὸς ἑαυτούς. quid igitur fiet illis voculis περὶ τάς? Articulū enim τὰς ad ἐπανακυκλήσεις ferri nemo non putaſſet:at nunc nullo poſſe modo illuc pertrahi videmus. quod etiā vt clarius perſpiciatur,ex accuſatiuis nominatiuos facientes,ita legamus, χορεῖαι δὲ τούτων αὐτῶν, καὶ παραβολαὶ ἀλλήλων, καὶ αἱ περὶ τὰς τῶν κύκλων πρὸς ἑαυτοὺς ἐπανακυκλήσεις. Quomodo igitur ſcribēdum eſt? Nimirum ſi in nominatiuo ponantur hæc verba, ſcribere debes περὶ ταί: ſi in accuſatiuo,vt à Platone ſūt poſita, περὶ τάς. Quanquam in omnibus editionibus haberi περὶ τάς, & margini mei libri nullam aliam lectionē pro hac ex veteri exemplari adnotatam eſſe fateor. Sed quod ad vulgatas editiones attinet,cur ad tam magnum mendorum numerū hoc addidiſſe eas miramur? Quod autem ex antiquo codice lectionem aliam adnotatam non reperio,hoc non facit vt in eo quoque ſcriptum fuiſſe περὶ τὰς credam, ſed potius inter cōferendum cum editione impreſſa vetuſtum codicē, ambigua me pronuntiatione deceptū fuiſſe mihi perſuadeā. nec enim dubito quin in veteri libro legerem περὶ ταί, dum meus anagnoſtes ex impreſſo libro recitaret περὶ τάς: ſed quomodo ex con-

fuſa quadã & putida eius pronuntiatione (qualis eſt multorũ hodie) περιλπαὶ quod in ſcripto codice habebam, à περὶ παὶ quod ille ex impreſſo legebat, diſcernere potuiſſem? Quocirca veteris mei exemplaris authoritatem (quod vtinam nunc apud me eſſet) vt pro me facere & coniecturã meam adiuuare non aſſero: ita nec illi fidem vllo modo derogare poſſe oſtẽdo. Quid verò Proclus? quam lectionem ſequitur? nempe eandem eodẽmque modo corruptam & ipſe, vel potius is qui eius librũ deſcripſit librarius. Nam Proclum certè ſua explicatione meæ coniecturæ adſtipulari perſuaſiſſimum babeo Alioqui dicat mihi aliquis vnde τὴν ἀνωμαλίαν τῆς κινήσεως ille accipiat: in cuius etiam dicti ratione reddenda tantopere laborat. Ergo planè reiiciẽdam eſſe lectionẽ illam περὶ·παὶ affirmare non vereor, nec protinus tamen in eius locum hanc περιλπαὶ ex coniectura mea reponendam eſſe aſſerere auſim. hoc taurùm, lectionem quæ minori cum mutatione reponi aptior queat, & quam Proclum ſequutum eſſe veriſimilius ſit, nullã excogitari poſſe, affirmarenõ dubitẽ. In alterius autẽ loci caſtigatione cõiecturã meã (in quam me Ciceronis interpretatio adduxerat) ipſe Proclus & approbat & improbat. nam quum ego omnino cenſeã legendum eſſe non προσχωρήσεις, quod acceſſiones ſignificat, ſed προχωρήσεις, vt Ciceroniano verbo *anteceſſiones* reſpõdeat: apud eum prius quidem προχωρήσεις, poſtea verò προσχωρήσεις reperio. Sed apud quẽ iudicem ego illam ſcripturam non euincam?

Quibúſque temporibus à noſtro aſpectu obliteſcant, rurſuſque emerſi errorem incutiant rationis expertibus, ſi uerbis explicare conemur, nullo poſito, &c.

Miror in omnibus libris hîc legi *errorem*, & ne eos quidem qui in aliis locis ſupramodũ audaces fuerunt, literulã vnam r auſos eſſe addere, vt ex *errorem*

facerent *terrorem*. Sed fortaſſe non ideo incorrectum hunc locum reliquerunt, quòd tam religioſi eſſent, ſed quòd mendum hoc nō animaduertiſſent. Atqui prœterquā quod nullus alioqui ſenſus idoneus ex his verbis colligi poterat, vel ipſe Platonis contextus, in quo eſt φόβοις, quomodo emendandus eſſet hic locus, ſatis apertè oſtendebat. Reperitur autem & alibi apud Ciceronem hoc mendum Error pro Terror: ſed & apud Tibullum, vt in meis in illum annotationibus docebo. At de ſequentibus hiſce verbis, *rationis expertibus*, quidnam dicemus? an ita ſcripſiſſe Ciceronem, qui legiſſet apud Platonem non τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι ſed τοῖς μὴ δυναμένοις? An potius additam non fuiſſe à Platone negatiuam particulam, ſed apud Ciceronem addēdam eam eſſe exiſtimabimus? vt ſit τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι, *rationis non expertibus*. Videamus primùm qua de re & quid loquatur Plato, deinde quæ ad quæſtionem hanc ſoluendā faciāt probabilia afferre conabimur. Proclus ait, τὰ σχήματα καὶ τὰς κινήσεις τῶν οὐρανίων φόβους εἶπε καὶ σημεῖα τῶν γιγνομένων παρέχει τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι. Ego verò exiſtimo Platonē propter cometas præſertim φόβους dixiſſe. quod etiam nomen pulchrè expreſſit Latinus quidam poeta, quum periphraſi vtens, diceret, crinémque timendi Syderis. Hinc & à Virgilio diri cometæ appellātur: quòd nimirum dira portendant, & grauium malorū ſint prænuntii. vt & Cicero lib. 2. De natura deorum, bello Octauiano magnarum calamitatū prænuntias ſtellas has fuiſſe dicit. Nec nō hodie videmūs vt ad earū cōſpectū expauescant & obſtupefiant quāplurimi. Vt igitur hanc de loci huius lectione dubitationē tollamus, an cum ratione illi an potius ſine ratione id faciant, videndū eſt. Et quoniā nōnulli Platonem ex Chaldæis & AEgyptiis, quidā & ex ſacroſāctis oraculis traxiſſe mul-

ta dicunt,altius hanc diſquiſitionem repetā. Equidē ſi prophetæ Ieremiæ tribuere fidem velimus,nō eſſe cur his terreamur, dicendum eſt. Arqui(obiiciet aliquis) in Geneſi ſcriptū eſt, Et erūt vobis in ſigna & tēpora. Hoc ego fateor:ſed talem eſſe eorū verborū ſenſum qualem vulgò exiſtimant, hoc verò nego. Aiunt enim plerique illic per ſigna, ſignificationes rerū futurarū intelligi:(quod omnino his Platonis verbis reſponderet, σημεῖα τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων, & ita etiam Chaldæorū horoſcopus non vana eſſet ſuperſtitio) per tempora autē, quas Græci vocāt ὥρας. Alii aliter explicāt. At ego primū dico, quod nemo inficiari poteſt, per luminaria ſolem & lunam duntaxat κατ' ἐξοχὴν intelligi: deinde miror, viros linguæ Hebraicæ multo me peritiores non cogitaſſe quod mihi ſtatim in mentem venit, eſſe videlicet figuram ἓν διὰ δυοῖν, apud Hebræos, ſicut & apud Græcos pariter & Latinos poetas, vſitatiſſimā: vt quum dicit Virgilius, Pateris libamus & auro. Et, Molémque & mōtes. Erit igitur hîc itidē dictū Signa & tempora pro Signa temporū. & Signa temporū potius quæ à Græcis προγνωστικὰ appellātur, dici exiſtimabimus: nimirum ea ex quibus futuram ſerenitatē aut tempeſtatem prædicimus. de quibus Aratus, de quibus etiam Virgilius: Solē, inquit, certiſſima ſigna ſequentur. Cuiuſmodi etiam προγνωστικὰ ex ipſius cæli faciė petit Chriſtus Matth. cap. 16. ſed vulgi tantùm obſeruationem cōmemorans. Verùm vt ad profana à ſacris redeamus(quæ citaui quòd Platonis mētem, vt aiunt, iis lectis, minus impia quædam de rebus diuinis opinio imbuerit) & in illius præſertim nominis φόβους ſignificatione inſiſtamus: ſciendum eſt quoſdā fuiſſe philoſophos qui nulla re nos obſtupefieri, imo ne admirari quidē rem vllam debere cēſerent, ſiue frequenter illa, ſiue rarò cōtingeret. ad quorum dogma

reſpexiſſe Horatium ſuſpicor(nec enim pro certo ha beo)quum hæc carmina ſcriberet,

Nil admirari,propè res eſt vna,Numici,
Soláque quæ poſſit facere & ſeruare beatum.
Hunc ſolem & ſtellas & decedentia certis
Tempora momentis ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent: quid &c.

Si igitur hoc ſapiētis exiſtimandum eſt, nil admirari,nulla re terreri: certè rationis expertes & inſipientes merito,eos qui illis terreātur, appellauerit Plato. Sed vt tandem ſermonem hunc claudam,magnā philoſophorum turbam Ciceronianæ interpretationi adſtipulantem in medium producere libet. Veniant igitur quotquot vnquam fuerunt Sceptici philoſophi,ſiue Ephectici,ſiue Pyrrhonii,aut quocūque alio appellari gaudent nomine: imò potius veniat Sextus philoſophus,& nobis Ephecticorū ſimul omnium verbis nonum ἐποχῆς exponat τρόπον. Ille enim in libris quibus titulum dedit πυῤῥώνειοι ὑποτυπώσεις (quos à me interpretatos cœperam excudere:& iam éditi forent, niſi aliis auocatus fuiſſem negotiis) explicans nonum τρόπον aut λόγον aut τύπον ἐποχῆς, iſta, ſi modò fidelis ſum interpres, dicit, De modo autē qui eſt ex crebrò aut rarò cōtingentibus(quē ordine nonum eſſe dicebamus)talia diſſerimus. Sol multo certè maiorē obſtupefaciendi vim habet quàm ſtella cometa:ſed quoniam ſolem crebrò videmus,rarò autem ſtellam cometam:ſtella hæc ita nos attonitos reddit,vt etiam porrēdi ea aliquid à diis putemus:at ſol non item. Quòd ſi imaginémur ſolem rarò apparentē, rarò occidentem, &,vbi ſimul omnia illuſtrarit, deinde repente omnibus rurſus tenebras inducentem: reperiemus hac in re vnde obſtupefieri valde debeamus. Hæc Sextus,in Scepticorū philoſophorum perſona.quæ conſidera quàm bene reſpō-

deant iis quæ dicit Cicero, *quibúſque temporibus à noſtro aſpectu obliteſcant, rurſuſque emerſi, terrorem incutiant rationis expertibus*. Verumenimuero multam operam, quantum video, fruſtra conſumpſi. Cui enim, quòd ea multorum fuerit opinio, & Ciceronis etiam verbis contineatur, Platonem quoque ita ſenſiſſe perſuaſerim: nimirum rationis expertes eſſe eos quibus hæc terrorē incutiāt: præſertim etiam quū quod initio de eo dixi, nō conſtet. Summa igitur diſputationis hæc ſit, Si quidem putemus ſuppoſititia hæc verba eſſe, καὶ σημεῖα τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων (quum etiā ea non agnoſcat Cicero) apud Platonem addita negatiua particula legendum eſſe, φόβους τοῖς μὴ δυναμένοις λογίζεσθαι πέμπουσι, & apud Ciceronē minimè adiiciendam eſſe particulam Non: ac rectè illum interpretatum eſſe *rationis expertibus*, quū abſolutè poſitum ſit verbum λογίζεσθαι, perinde ac ſi dictū eſſet τοῖς ἀλογίστοις. Sin autē ſuppoſititia eſſe verba illa nolimus, nō magis negatiuam particulam apud Ciceronem quàm illorū ſex vocabulorū interpretationē deſiderari putabimus. Iā verò ſi totius loci interpretatio Ciceroniana talis eſſet, vt ſine vllo eius incommodo & particula Non & illa ſex verba Latinè reddita inſeri poſſent, à librario prætermiſſa ea eſſe crederem: at quū id nullo modo fieri poſſe videam, M. Tulliū non plura nec alia quàm hic habemus, ſcripſiſſe verba perſuaſum habeo. Ne autē inſeri poſſint illa, obſtat verbum *incutiant*. neque enim ita loquentem vllum, vt opinor, ferremus, *terrorem* & rerū futurarum ſignificationes *incutiant*. Aliud autē verbum quàm Incutiant ſcriptū reliquiſſe Ciceronē, mihi nō fit veriſimile: tum quòd vt elegantiſſimū, ita & vſitatiſſimū ſit hoc dicēdi genus: tū etiā quòd in tota ſua lingua Latina verbū vllū quod ad vtrūque pertinere

poſſet (quemadmodum apud Platonē πέμπουσι & ad φόβους & ad σημεῖα pertinet) reperturū fuiſſe M.Tullium non putem. Nam nec Afferant, nec Dent, vt opinor, dixiſſet. Nec mirum, defuturū fuiſſe Ciceroni aptum vtrique verbū. ecce enim, quū multis partibus copioſior ſit Græca quàm Latina lingua, Plato tamen verbo nō ſatis proprio πέμπουσι vti cogitur. Siquidē non minus durū eſt (ſiquod eſſe poteſt mearum aurium ex ſatis longo vſu iudicium) Græce φόβους πέμπειν pro ἐπιπέμπειν, quàm Latinè Mittere furorem vel terrorem alicui, pro Immittere, vel Inijcere. Verùm ſi dixiſſet Plato ἐπιπέμπουσι, magis quidem propriè, ſi φόβους reſpicias, loquutus fuiſſet: at ſi σημεῖα, magis impropriè. Hæc igitur faciunt vt Ciceronem ſcripſiſſe aliud verbū quàm *incutiant*, vix adduci poſſim vt credam. Eſto tamen aliud ſcripſiſſe, & nos tale aliquod hic habere, quod ad vtrunque accuſatiuū accōmodari poſſit: adeo vt verba illa ſex, Latine interpretata, ita inſeri poſſint, vt nulla interim fiat Ciceroniano ſermoni iniuria: quid? an tam imperitum Græci ſermonis Ciceronem fuiſſe exiſtimabimus, vt quid hic valeret λογίζεσθαι, & abſolutè non eſſe poſitum, ſed intelligi debere λογίζεσθαι αὐτὰ, ignoraret? Atqui ita vertit quaſi abſolutè acciperetur. Ciceronem igitur ſex illa Græca verba in exemplari ſuo non reperiſſe, &, ſi reperiſſet, prætermiſſurum non fuiſſe, apertè affirmo. An tamen pro ſuppoſititiis habēda ſint, pronūtiare nō audeo: illud quidem certè audacter pronūtio, niſi illis expunctis, ſaluam manere non poſſe Ciceronis interpretationem.

Reliquorum autem quos Græci δαίμονας appellant, noſtri, ut opinor, lareis (ſi modò hoc rectè conuerſum uideri poteſt) & noſſe & nuntiare ortum eorum, maius eſt quàm ut profiteri ſcribere nos audeamus.

Non dubito quin hîc legendum ſit *enuntiare* pro *nuntiare*. Quorſum enim aut apud quos eſſe vellet nuntius ortus deorum Plato? nec verò ille dixit, ἀγγέλλειν aut ἀπαγγέλλειν ſiue ἀναγγέλλειν, ſed εἰπεῖν, quod reſpõdet Latino Enũtiare,pro Eloqui ſiue diſſerere. Sic autem ſæpe menda periculoſa contigiſſe obſeruaui ex omiſſa prima vocis litera. vt Errores pro Terrores antea poſitum reperimus,& alibi etiã reperire poſſumus. Verũtamen hoc mendũ in verbo Nũtiare occupãte locũ verbi Enũtiare,& reliqua item quæ hactenus adnotaui, ab illo Ciceronicola non animaduerſa fuiſſe,nequaquã miror:quoniam, vt eſt vir minimè malus,omnia(credo) boni cõſulere volebat. Vnum erratum quod ſtatim pòſt habetur, quomodo ferre potuerit cum tanto Ciceronis ſui dedecore,hoc verò ſatis mirari nõ poſſum. Nam hoc dicendi genus *Reliquorum & noſſe & enuntiare ortum eorum*, quid aliud quàm Hebraiſmum eſſe dicemus?Itáne ergo etiã Cicero Hebraiſſat? &ab hoc Hebraiſmo aures viri Ciceroniani(nec enim illi de ſe teſtanti fidem derogare fas eſt)non abhorrent? Vir Ciceronis ſtudioſiſſimus & obſeruantiſſimus,prudens & ſciens Hebraicam dicendi phraſin apud Ciceronem relinquit. Sed fallor: prudens & ſciens illã non reliquit: imò verò imprudenti illi obrepſit: & dum locum hunc M. Tullij legebat, ſibi videbatur in ſuo Breuiario Romano legere, Beatus vir cuius Dominus Deus eius.Ergo & hîc quoque veniã merebitur. Porrò lector non hunc vnum apud Ciceronem Hebraiſmum eſſe ſcito.

Ac difficillimum factu eſt, à diis ortis fidem non habere. quanquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur: ſed quia de ſuis rebus notis uidentur loqui,ueteri legi morique parendum eſt.

Reperitur alibi Ratio falſò poſitum pro Oratio,itidem& pro Erratio:hìc autẽ vereor ne *rationibus* pro *demonſtrationibus* perperam librarius ſcripſerit.neque enim video cur ἀποδείξεις Rationes quàm Demonſtrationes maluiſſet hoc loco interpretari Cicero. Alibi Argumenti concluſionem interpretatus, addit eſſe rationẽ:ſed non rationem nudè.eius verba ſunt Academ. quæſt.editionis primæ lib.2, Itaque argumenti concluſio (quæ Græcè ἀπόδειξις) ita definitur, Ratio quæ ex rebus perceptis, ad id quod non percipiebatur, adducit. Animaduertendũ eſt præterea, à ſermonis Latini cõſuetudine aliquantum alienum eſſe hoc dicendi genus, *ſuis rebus notis*. Neque enim eum feramus qui ita loquatur, Volo explicare meas res notas. Quum dicendum ſit,Res mihi notas. Itaque & in hoc Ciceronis loco cẽſuerim primùm permutandũ eſſe ſubſtantiui &adiectiui ordinem,vt *notis* præcedat,*rebus* ſequatur(quo ordine collocata hæc verba in quibuſdam editionibus reperiũtur)deinde ex *ſuis* faciendum eſſe *ſibi*. vt ſit,*de ſibi notis rebus*. Niſi fortè quis putet ſcripſiſſe Ciceronem,*de ſuis ſibique notis rebus*.Cui facilè aſſentiar: nam ponens *ſibi*,lubenter tamen *ſuis* retinerem,propter οἰκεῖα.

Pag. x x x I.

Quorum operum ego parens effectórque ſum,quæ per me facta,hæc ſunt indiſſoluta nutu meo.quanquam omne colligatum ſolui poteſt.

In quibuſdã vulgatis editionibus legitur, *hæc ſunt indiſſoluta me inuito*. In quibuſdam etiam ita, *non ſunt diſſoluta me inuito*. Apud Auguſtinum autem locum hunc citantẽ lib.De ciuitate Dei 13 legitur *nutu meo*. & hanc ego lectionẽ potius quam illam in editionem meam recepi, quòd Græcis verbis, vt ea quidem in vulgatis editionibus habentur, eſſe conue-

nientior videretur.ita enim in illis legitur, ἃ [ἔργα] δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γε θέλοντος. At verò quũ excuderẽ Athenagoræ Atheniẽſis philoſophi quendam libellum(quem non ſolùm,vt opinor,nouitas, ſed multo etiam magis eius argumentum commendabit:quũ ſit ἀπολογία περὶ Χριστιανῶν) reperi citatum hunc Platonis locum poſita ante θέλοντος negatiua particula.ſcriptũ eſt enim illic ἐμοῦ μὴ θέλοντος. quæ etiam lectio duorum codicum teſtimonio cõprobatur. Nam quũ olim Romæ Gulielmus Sirletus & ego noſtra exemplaria inter ſe conferremus,in huius loci lectione optimè conuenire ea comperimus. Vtra igitur Græcarũ lectionum cum vtra Latina(Auguſtinianã omitto)magis congruat,perpendamus:ſi prius quæ ſit Platonis mens,& quis eius verborũ in toto hoc loco ſenſus,maxima cum perſpicuitate explicuerimus. Hæc igitur Plato deum primarium omnium creatorem ad ſuos loquentem inducit. vtar autem paraphraſi.

DII à diis orti,quæ dicam audite. Omnibus operibus quorũ ego effector paréńſque ſum,vim quandam qua ſe perpetuò conſeruare nec diſſolutioni obnoxia eſſe poſſint,tribuere volo.Nam ea quidem eſt, fateor, omnium quæ colligata ſunt,conditio,vt quemadmodum vincta fuerunt, itidem etiam ſolui queant.quum nullum ſit vinculum,cuius aliqua tandem non reperiatur diſſolutio. Verùm improbè certè faciat quiſquis id quod aptè & pulchrè cõpactum vinctumque eſt, diſſoluere voluerit.In me autẽ nequaquã cadit improbitas. vnde fit vt vos, qui alioqui,quatenus orti eſtis,minimè mortales & indiſſolubiles poteſtis eſſe,diſſolutionis tamen expertes futuri & interitũ minimè ſenſuri ſitis: vtpote iis legibus non adſtricti, quibus omnia quæ vincta ſunt,

adſtringi ratio poſcit. Nequaquam enim vincula ea quibus fuiſtis quum gignebamini colligati, adeo firma valentiáque ſunt, vt nō firmius & infinitis par tibus valentius mea voluntas ſit vinculum.

Hæc eſt, vt mihi quidem videtur, plana & aperta huius loci ſententia. quē tamen ſi Proclus intellexit, ego certè non intelligo. Poſtquam enim diu multúmque vt in difficillimo loco laborauit, eius tamē (aut ego fallor) ſenſum aſſequi non potuit. tot eum nodis inuoluit atque implicat, vel potius tot nodos, quod aiunt, in ſcirpo quærit, dum ſubtilis & acuti philoſophi nomen ſuo more aucupatur. denique, quod ille ait, facit næ intelligēdo vt nihil intelligat. Nam quū hîc Plato inducat Deum vnicam illorum immortalitatis, & (vt ita dicam) indiſſolubilitatis cauſam ponentem ſuam ipſius voluntatem: ille voluntatem non vt ſolam, ſed vt tertiam cauſam, reliquis tamen valētiorem, ſtatuit. Eū ergo miſſum faciamus, niſi in examinandis eius nugis, cum eo nugari volumus. Ad Ciceronem autem quod attinet, in eius interpretatione aptiorem periodorum iuncturam deſidero. nam præterquam quòd duas periodos nullo interiecto interuallo ab eadē particula *Sed* inchoare nō debuit (quòd inconcinna ſit hæc repetitio, & qua meritò teretes offendantur aures) in eo certè quòd poſteriore loco eā poſuerit, reprehēſione non caret: quia quæ cōiungenda erant, vt ex ſuperioribus pendentia, potius velle diſiungere videtur. Quis enim periodum adhibita particula *Sed* cū præcedente cohærere oſtendat? Rectius itaque, verbum verbo reddens, vertiſſet, Quum igitur ſitis orti. Perinde enim eſt ac ſi ita loqueretur hic Deus, Quum igitur ſitis orti, immortales quidem eſſe non poteſtis, quum, vti dixi, omne colligatum diſſolubile ſit: neutiquam

tamen diſſoluemini.ſiquidem,&c.Et quoniã in Ciceronianam huius loci interpretationem inquirere cœpi,quandam etiam de primis primæ periodi verbis proponere volo dubitationẽ:qua propoſita,tum demum ad pronuntiandã meam de varia illa lectione ſententiam veniam.Nam quum ita vertit Cicero, *Vos qui deorum ſatu orti eſtis, attendite. Quorum operum ego parens effectórque ſum,&c.* primùm manifeſtũ eſt illum de ſuo verbum *attendite* addidiſſe:quàm rectè, alii viderint. meo quidem certè iudicio, verbo μάθετε,quod apud Platonẽ paulò pòſt habetur, contentus eſſe,& omnia vſque ad verbũ illud,duntaxat velut παρεσπαγόρδαιν eſſe exiſtimare debuerat:(quanquam non certa, ſed probabilia tantùm afferre me profiteor)perinde acſi ita dixiſſet, θεοὶ θεῶν ὑπ' ἐμοῦ δημιουργηθέντες,τὰ ὑπ' ἐμοῦ γεννηθέντα ἔργα(ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα,&c.) ἀθάνατοι μὲν οὐκ ὄντες, οὐδ' ἄλυτοι τὸ πάμπαν,ἐπείπερ γεγένησθε· οὔτι μὲν δὴ λυθησόμενοι,οὐδὲ τευξόμενοι θανάτου μοίρας, &c. ὃ λέγω μάθετε. Sed propter interruptum orationis rectum veluti curſum,Plato fecit quod &alii ſæpe ſcriptores facere ſolent,vt voce ὦν vteretur,quaſi nouam inchoans ſententiã. Quo etiam modo Latini,quum ſatis multa per parentheſin interuerunt verba, & ſermonem ſuum non vna ſerie eodémque velut filo continuarunt, particulam Inquam ad colliganda ſequentia cum præcedentibus adhibent. Veruntamen Ciceroni imperatiuum hunc addere facilè per me licuiſſet, niſi vnà etiam verba hæc ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων à ſuperioribus illis θεοὶ θεῶν apertè diſiunxiſſet: quæ an Plato diſiuncta eſſe voluerit, non liquet. & quantum ego perſpicere poſſum, vix commodè annecti ſuperioribus poſſunt, ſed ſeparari ab illis multo certè minus,quod ad orationis ἀκολουθίαν attinet.Et illa qui-

dem omnia cum ſuperioribus iungendo, ita reſol-
uenda puto, vt me modò reſoluiſſe vides: poſſint ve
rò & ita accipi vt tantùm δημιουργὸς ad præcedentia
pertineat. At verò ſi à ſuperioribus diuellere ea vo-
luerimus, cũ Cicerone, magis laborandũ in illis con
texẽdis fuerit. Nam præterquam quod rectus & mi
nimè implicitus horum verborũ contextus eſſe hic
debuiſſet, ἔργα ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε (quẽ tamen
ſimplicem loquendi modũ & huiuſmodi alios grã-
diloquentia Platonis aſpernatur, vt & Thucydidis
βραχυλογία, ſæpiſſime) interiecta iſta verba, ἃ δι' ἐ-
μοῦ γενόμενα, multum profectò faceſſent nobis nego
tii, & ἀνακόλουθον ipſam orationem relinquent. Illa i-
gitur quatuor vocabula expungere ſi mihi per Ci-
ceronem liceret (hîc enim hæreo, & aliquod quaſi ἐκ
μηχανῆς auxilium expecto, quum ſit dignus vindice
nodus) ego certè viciſſim illi, quæ dixi retractans,
ſeorſum verba illa legere permitterem, ὧν ἐγὼ, &c.
Sed quid dico, ſi per eum mihi liceret? Imò verò li-
cet: ſiquidem bona pars editionum verba hæc non
habet, *quæ per me facta*. Quòd ſi me roget aliquis, an
Ciceronem, quum apud Platonem ea legiſſet, con-
ſultò prætermiſiſſe exiſtimem: non prætermiſiſſe le-
cta, ſed ne legiſſe quidem reſpondebo. Nam cum
alii nonnulli antiqui authores locum hunc citantes,
tum etiam is quem paulo antè nominaui Athena-
goras illa non ponit. apud quẽ tamen pro ἄλυτα vox
alia, ſed perperam, vt opinor, habetur. Iam igitur nos
quoque vel quatuor illa vocabula expungentes, hæc
ὧν ἐγὼ, &c. à ſuperioribus abſtrahamus, authore Cice
rone: nõ aliter quàm ſi ita dixiſſet Plato, ἔργα ὧν ἐγὼ
δημιουργὸς πατήρ τε εἰμὶ, ἄλυτα ἐστὶν ἐμοῦ, &c. vel ex
quatuor vnũ ἃ nobis reſeruantes, cæteris expunctis,
cum ſuperioribus iſta, ὧν ἐγὼ, &c. connectamus: ſiue

totum hunc locum tanquam περισσαγόμενον accipere oporteat, & eo quo dixi modo verba hæc reſoluere, nimirũ ita, θεοὶ θεῶν ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων, δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα ἐμοῦ γε μὴ θέλοντος ἔργα (ἃ ἄλυτα, &c.) ſiue, quod malim, illud quidem ὧν velimus referre θεῶν, ſed alterũ genitiuũ ἔργων ſeorſum legamus, & nõ, vt per appoſitionẽ quam vocant dictũ, ſuperioribus & ipſum adnectam⁹. Sed iam tẽpus eſt vt veniã, vel potius reuertar ad priorem illam dubitationẽ, de eorum verborum quæ proximè hæc ſequũtur, lectione. Dicebã igitur in nõnullis editionibus ita legi, *hæc ſunt indiſſoluta me inuito*: in aliis autem ſic, *nõ ſunt diſſoluta me inuito*: apud Auguſtinũ autem eam quã ex editione mea protuli, lectionem reperiri: cui, quòd negatiuam particulam apud Platonem nõ inuenirẽ, plus fidei quàm illis tribuiſſem. At nunc quum illam negationem videamus Athenagoram in exemplari ſuo habuiſſe, valeat illa Auguſtini lectio, reliquas duas conſideremus. Inter has ergo planè nihil intereſt, niſi quòd in priore quidem negatio cum nomine iuncta eſt, at in poſteriore ſeorſum ponitur: nec video cur non vtranuis eligere poſſimus, modò pro *indiſſoluta* legamus *indiſſolubilia*, & *diſſolubilia* pro *diſſoluta*. Siquidem hæc Latina verba, *indiſſolubilia* ſunt, vel *non ſunt diſſolubilia me inuito*, (id eſt, diſſolui nequeunt contra voluntatem meam) his Græcis planè videntur reſpondere, ἄλυτα ἐμοῦ μὴ θέλοντος. Vt tamen ingenuè fatear, hæc verba ἐμοῦ μὴ θέλοντος, aliis verbis quàm quibus vſus eſt Cicero, expreſſiſſem: & à M. Tullio, quod eius pace dixerim, aliter exprimenda fuiſſe mihi videntur.

Quorum uobis initium ſtatũſque traditur à me.

Platonis verba ſunt, σπείρας καὶ ὑπαρξάμενος ἐγὼ παραδώσω. quæ ego ſecutus, dicam, nullo, (vt opi-

nor)reclamante,legendum hic eſſe non *ſtatus*,ſed *ſatus*.vt paulo antè dixit, Vos qui deorum ſatu orti eſtis.Item, Oceanum Salaciámque cæli ſatu terræque conceptu generatos.

Hæc ille dixit:deinde ad temperationem ſuperiorem reuertitur, in qua omnẽ animum uniuerſæ naturæ temperans permiſcebat, ſuperioriſq; permixtionis reliquias fundens æquabat.

In omnibus editionibus,præterquam in ea quam Ciceronicola ille emendauit, legitur, *ſuperiſque permixtionis*.In illa igitur quæ lectio eſt? Nempe hæc, *ſuperiſque permixtionibus*. Pulchrè ſanè,quia ſubſtantiuũ & adiectiuum in tribus conueniunt.at quanto ſatius erat inemẽdatam lectionẽ relinquere quàm ita eam emendare?ſi tamen hoc emẽdare eſt, in locum mendi manifeſti nec periculoſi aliud occultiſſimum & periculoſiſſimum reponere. Ego certè diu, ſed fruſtra, me torſi, vt quid vocaret Cicero ſuperas permixtiones,poſſem intelligere. Nec verò quãdiu ob oculos bellam hanc editionem habebam, in veræ lectionis ſuſpicionem vllis prioris ſcripturæ veſtigiis deduci poteram:quum illic prorſus abolita eſſent,ne videlicet ab adiectiuo ſubſtantiuum diſcordaret. At poſtquam alias editiones conſului, in quibus fideliter ſeruata eſt integra & intacta prior deprauatio, nulla addita παραδιορθώσει, ſtatim non ſuperas permixtiones (vt volebat ille Ciceronianus) ſed ſuperiorem permixtionem ſcripſiſſe M. Tullium animaduerti. Ecce enim inter *ſuperi* & *ſque* interiiciamus *ori*,planè reſtitutum habebimus locum. At enim dic mihi Ciceronicola, primùm quid imaginabaris appellaſſe Ciceronẽ ſuperas permixtiones? Non ignorabas, opinor, nomen hoc ſuperas eſſe ex numero relatorum

relatorum ad aliquid, & ideo ſuperas permixtiones inferarum reſpectu dici:quas igitur,obſecro,tibi ſuperas, quas inferas permixtiones fingebas? Imò verò tu non ex numero relatorum ad aliquid, ſed ex numero non intellectorum ſuſpicabaris eſſe hoc nomen. Ac profectò nimium arduam tibi propoſitam eſſe ſentio quæſtionē: ad captum ingenii tui me accommodare, & in arena tua prouocare te volo. Bonus es grammaticus, quantum video. pulcherrimè enim, vti dixi, Ciceroniana verba ad illam grammatiſtarum legem ac regulam adſtrinxeras, quæ præcipit vt in tribus ſubſtantiuum & adiectiuum inter ſe conueniant. Sed num & ſequentem paulo pòſt nō legeras, aut ſi legeras, non memineras, quæ iubet vt dicamus Liber Petri, nō autem Liber Petro? Nimirum ſi recordabaris, & parere ei volebas, eadem ratione dicēdum hìc fuerat, Superarū permixtionum reliquias. Sed video quod à te laturus ſim reſponſum, Eam quidem regulam (dices) legeram, & eius memor eram, & eam obſeruare ſuo loco ſciebā: ſed reliquias accuſatiuum cum genitiuo iungendū eſſe, hoc verò ignorabam. Atqui ex Græcis Platonis verbis id cognoſcere difficile nō erat. Verùm nimium obſcurè tibi & tui ſimilibus locutus eſt illic Plato, quantum coniicio. Omnibus igitur modis excuſandus es: ideóque & hoc tibi peccatum condono.

Eodem modo ferme, niſi quòd non ita incorrupta ut ea quæ ſemper iiſdem: ſed diis ſecundum ſumebat atque tertium.

In nónullis editionibus ita legitur vt hìc: in aliis autem pro *iiſdem* habetur *idem*, & *ſed à diis*. Quinetiam in nonnullis adnotatur margini hæc lectio, *ſed diis ortum ſumebat atque interitum*. Implicita eſt vt apud Platonem ita & hìc nō tam ſententia, quàm oratio. ſed

eã magis adhuc implicant cõmiſſa à librariis mẽda: è quibus vnũ tantùm quomodo ſit emendandũ, affirmare poſſum:nimirũ vt pro *dÿs* reponatur *ÿs*. Illud autẽ *idem* etſi mihi magis placet quàm *ÿſdem*, nõ placet tamen ſatis:& mallem *eadem*. Quanquam, vt libere loquar, non minus hîc mihi ipſa Ciceronis interpretatio quàm librarii ſcriptura ſuſpecta eſt. neque enim video quorſum hæc verba κατὰ ταυτὰ ὡσαύτως ita vertere debuerit. Quòd ſi peccat in interpretandis his Cicero, certè tertiò iam (quod eius pace dictũ velim) in hac periodo peccat. κρατῆρα enim quum Plato accipiat pro vaſe in quo tẽperatio fit, ille *temperationem* interpretatur. id autẽ voluiſſe hoc nomine ſignificare Platonẽ, apparet ex iis quæ ſubiungit, ἐν ᾧ κεραννὺς ἔμισγε. quæ tamen mirũ eſt M. Tullium, propius nõ intuentẽ, poſt *temperationẽ* vertiſſe *in qua tẽperans permiſcebat*. Deinde ſi vera ſunt hæc quæ ſcribit Proclus, τὰ τῶν πρόσθεν ὑπόλοιπα, τῶν μέσων ὑποθησόμεθα γενῶν. οὐ γὰρ δήπου λέγοι ἂν τοῦ ἐκεῖ κράματος, errat quũ τὰ τῶν πρόσθεν ὑπόλοιπα, *ſuperioris permixtionis* interpretatur. Pag. XXXIII.

Pòſt irã & metum & reliquos motus animi, comites ſuperiorum & his etiam contrarios diſſidentes.

Non video quomodo ferri poſſint hæc duo nomina *contrarios diſſidentes* poſita ἐκ τοῦ παραλλήλου, niſi interiecta copulatiua particula. Quid ſi potius ex nomine *contrarios* fiat aduerbium contrariè, quod aduerbio ἐναντίως reſpõdeat? Certè hoc malim. nec intelligo cur durius ſit Latinè *contrariè diſſidentes*, quàm Græcè ἐναντίως διεστῶτα. Pag. XXXIIII.

Deinde ut huic animãti principẽ ſe ducẽmque præberet, uitámque eius pulcherrimè regeret & gubernaret, niſi quatenus ipſe ſua culpa ſibi aliquid &c.

Quemadmodũ præceſſit *effingerent*, item *perpoli-*

rent & abſoluerent, ita etiam hîc legendum eſſe *præberent,regerent,gubernarent,*manifeſtius eſt quàm vt vlla confirmatione egeat: præſertim quũ eodem & illa præcedentia & hæc ſequentia verba referantur.

Pag. XXXVIII.

Sed æſtimant plerique non hæc a diuinantia cauſarum,ſed has ipſas &c.

Puto hîc legendum *exiſtimant*, nec vnquam confundi ſolere aut poſſe horum verborum ſignificationes arbitror.

LIB. II. DE LEG.

Pag. XL.

'Ligneũ autẽ quodque uoluerit,uno è ligno dedicato.

Etſi Quandoque dicitur pro Quandocunque,tamen neque hîc neque alibi placet mihi *quodque* pro quodcunque: ſed *quodcunque* lego.

IN OECONOMICO.

Pag. XLVI.

Quibus autem ad dies feſtos & ad hoſpitum aduentum utimur,& ad quædã rara negotia,hæc primò tradidimus,& loca ſingulis demõſtrauimus,& cuique &c.

Vide quàm grauis error ex quàm leui mutatione acciderit: *primò* aduerbiũ pro nomine *promo.* quo vilicet redditum fuit à Cicerone Græcũ ταμία. Quod tamen quum fœminini generis ſit hîc, *promæ* potius ſcripſiſſe Ciceronẽ crederem,niſi magis procliuẽ lapſũ ex promo in primo quàm ex promæ fuiſſe conſtaret. Quid ſi verò τῷ ταμίᾳ non τῇ legerit Cicero?

Eámque admonuimus ut quodcunque opus eſſet,ſciret unde daret.

Hoc *quodcũque* aut *quocũque* nõ reſpõderet datiuo ὅτῳ,quem habemus in cõtextu Græco,ſed genitiuo ὅτου. Si ὅτου δέοι ἑκάστῳ legatur,erit *quo cuique opus eſſet.*

LIB. II. DE FINIB.

Pag. L V.

Nihil haberem quod reprehenderem, quum undique complerentur uoluptatibus, aut haberent ulla ex parte aliquid aut dolens aut ægrum. id eſt malum.

Ex duabus lectionibus neſcio quomodo ea quam reiecerã, irrepſit. nã legendũ vt in quibuſdã editionibus, *nec haberent*. Niſi fortè quis malit ex *ulla* facere *nulla*. Sed mihi nõ tã placet hæc lectio, quæ cõiectura mea dũtaxat, quàm illa quæ aliarũ editionũ authoritate nititur. Eſt verò etiã in Græcis aliquid de quo te admonitũ velim: nimirũ nullo modo ferendã mihi videri lectionẽ hanc οὐκ ἄν ποτε εἴη μὲν ὅ, τι μεμψαίμεθα, & meo iudicio legendum eſſe ἔχοιμεν pro εἴη μὲν, aut ſaltem tollendũ eſſe illud μὲν. ſed malim ἔχοιμεν.

LIB. III. DE FINIB.

Itẽ qui proceſſit aliquantũ ad uirtutis aditũ, nihilo minus in miſeria eſt quàm ille qui nihil proceſſit.

Pag. L V I I.

Non video quomodo defendi poſſit hæc lectio *uirtutis aditum*. neque enim προκοπὴ eſt in eo vt nobis ad virtutẽ pateat aditus, ſed in eo vt tandẽ quaſi per quoſdã gradus ad virtutis adeptionẽ perueniamus. adeo vt nobis ad id patefactũ eſſe iam aditum neceſſe ſit ad quod dicimur προκόπτειν. Sic Chiron Achilli aditũ ad virtutẽ dediſſe dicitur à Statio. Achillis deinde erat illã inſiſtendo quã Chiron monſtrauerat viam, προκόπτειν ἐπ' ἀρετήν. Quomodo igitur hîc legendũ eſt? Audebóne dicere reponendum eſſe verbale nomẽ *adeptũ* in locum huius *aditũ*? Multa certè etiam apud ipſum Ciceronẽ reperiuntur huius generis, & non minus dura (ſi tamen dura habenda ſunt) quàm Adeptus pro Adeptio.

EX CICERONIANA INTER pretatione Arati Phænomenωn. vel, EX CICERONIS ARATO. Nam Lactantius & veteres grammatici, vt Seruius, Priſcianus, ex hoc libro teſtimonia petentes, citant Ciceronem in Arato.

Pag. LXXV.

Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiopea.

Ciceronis exemplaria inconſtantia ſunt in huius nominis ſcriptura. nam alibi *Caſſiepea* legitur. Sed Arati codices conſtanter habent Κασσιέπεια.

Pag. LXXXV.

Atque uſque à prora ad cælũ ſine lumine malum.

In locum huius ſubſtantiui *cælum* reponendũ puto *celſum*, aut aliquod aliud huiuſmodi epitheton.

Pag. LXXXVII.

Has autem quæ ſunt paruo ſub culmine fuſæ.

Durè dictum videtur eſſe hîc *culmine*, quæcunque illi tribuatur ſignificatio: quid ſi igitur *lumine* legam?

Non potuit nobis nota clarere figura.

Ita in omnibus quas quidẽ viderim editionibus legitur: ſed quum hîc actiuo verbo opus ſit, at *clarere* ſit neutrum, in eius locum audacter repono *clarare*. Factum autem eſſe Declarare ex Clarare quis neſcit?

Pag. XCIII.

Hunc ſupra læua Perſeus humeróque ſiniſtro
Tangit ad Andromedam: hic dextra de parte tenetur.

Arati verba ſunt hæc, Λαιῇ δὲ κνήμῃ καὶ ἀριστερὸς ὦμος ἐπ' αὐτῷ Περσέως. ἀνδρομέδης δέ, &c. vbi igitur eſt illius nominis κνήμῃ interpretatio? Certè nuſquam apparet: ſed apparebit, vbi loco huic ſuam & veram (vt mihi quidem videtur) lectionẽ reſtituero. Nam ſi ita ſcribamus, *Hinc ſura læua Perſeus humeróque, &c.*

& ſenſum aptiſſimum,& illius Græcæ vocis interpretationem eandem quam & infrà, habebimus. *Hinc* autē idem valebit quod exin ſiue exinde,quibus nō ſemel hoc in libro vtitur.Fortaſſe autē quum nō intelligeret aliquis hoc nomen *ſura*(vt erat imperitus) primùm in eius locum repoſuit præpoſitionē *ſupra*, deinde illi accuſatiuū dedit *hunc* factū ex *hinc*. Qui error quo minus adhuc animaduerſus ab vllo fuerit,obſtiterūt Græca verba ἐπ᾽ ὤμῳ, quæ duo duobus illis *Hunc ſupra* reſpondere putabantur. & *læua* cum ſubaudito vel potius ſumpto ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ſubſtantiuo *parte* iungendū eſſe videbatur:quum omnino iungendum ſit cum *ſura*, quemadmodum Græcè λαιῇ cum κνήμῃ.

Pag. x c v.

--hinc orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes ſupra --

In proximo loco *hunc* pro *hinc*: at in iſto *hinc* pro *huic*.ac in eo quòd tā manifeſtos errores emēdare auſus nō ſim,religio mea ne irrideatur vereor.ſed me ſummus exemplarium conſenſus hic vt & aliis multis in locis deterruit.

Pag. c i.

-flexo confidens corpore nixus.

Arati verba, αὐτὰρ ὅγε γνὺξ Ηκῶμος. quā vocē γνὺξ reperies & infrà,ſimul & apud Ciceronē *niſus* nō *nixus*. Alibi γόνατι & ἐν γόνασι,vbi itidem apud illum habetur *niſus*.

Pag. c x i.

Futuras mecum commentabar miſerias.
Aut mortem acerbam,aut exilij mœſtam fugam.

Si velimus in ſecūda huius prioris verſus ſede iābū ponere,tantùm harū duarum vocū *futuras mecum*

ordinem cõmutemus. Sed cur ſpõdeo magis in hoc quàm in quinto verſu offendemur? dices. Is enim ita legitur, *Vt ſiqua inuecta diritas caſu foret*. Nẽpe huic quoque malo medebimur, ſi trãſportata in aliũ locũ voce *caſu*, legamus, *Vt ſiqua caſu inuecta diritas foret*. At verò primo verſui quid fiet? Equidẽ quod illi adhiberi remedium poſſit neſcio: neque huic ſolùm, ſed & aliis multis, in iis etiã locis, vbi ſatis curioſè obſeruatũ id videtur, vt in interpretatione illorũ Sophoclis verſuum. nã ex quadragintaquinque ſunt duodecim qui ſpondeũ ſecunda in ſede habent: ex quibus vnũ atque alterũ duntaxat reperies, in quibus id vitari incommodũ poſſit. Vanus igitur ſit eius labor qui remediũ huic vel illi verſui, cæteris neglectis, adhibere velit. In Græcis quidẽ certè alia ratio eſt: ideóque in nullo hanc reliqui licentiam, quã tamen reliquiſſe alios cõperiebã. Iam verò quod attinet ad hũc verſum, *Aut mortẽ acerbam, aut exilij mœſtã fugam*, ſi traditã à quibuſdam antiquis grammaticis ſequamur regulã, legendũ hìc fuerit *exili* ob verſum. quod tamen ego inter ἀδιάφορα repono, quum non minus tolerabilẽ πνίζειν quàm ἀποκοπὴν eſſe putẽ. Sed hæc leuia ſunt profectò, & indigna quæ inter alias tanti momenti caſtigationes ponatur: illud verò nõ leue, repugnantibus licet omnibus editionibus, legendũ eſſe in ſexto verſu *recens* pro *repens*. hoc modo, *Ne me imparatũ cura laceraret recens*. Quam caſtigationẽ homini linguæ Græcæ ignaro neſcio quàm facilè probauerim: at Græcè docto ita legendum eſſe ſtatim perſuaſerim, magnã inter ἕρπον & νεαρὸν nõ ignorati eſſe differentiã. Pag. c x i i i.

Quæ corpore exanclato atque animo pertuli.

Mirum eſt, in iſtis etiam nouiſſimis Ciceronis operum editionibus, emendatis ſcilicet diligenter

atque caſtigatis, accuratéque perpurgatis, & maculatis(emaculatis dicere volebã) legi quemadmodum & hîc *exanclato*. Nam ſi ſuperiores illas inemendatas alioqui & inelegantes editiones conſuluiſſet typographus(quas ego dum hæc Ciceronis ſcriptorum velut ἀποσπασμάτια excuderem, non habebam: ſed ille totum corpus excudens, vt quam appetebat, reportaret diligentiæ laudem,& habuiſſe & ſumma cura ſtudióque verſauiſſe debuit)commodiorẽ certè lectionem reperiſſet *exantlata*. Sed fallor: nam editiones illas habuit,& ſumma cura ſtudióque euoluit, verùm vtra lectio potior eſſet, ignorauit. In illius igitur gratiam, vt hoc tandẽ diſcat, dico *exãclato* neque ab vlla Latina neque ab vlla Græca voce originem habere poſſe: at *exantlata* ab ἐξαντλεῖν deductum eſſe norunt, eo excepto, omnes. Quanquam, vt ingenuè fatear, quum ex hac deriuatione conſequatur vt *exantlata* ſignificet exhauſta, vereor ne *exantlato* potius legẽdum ſit. Nec enim ſatis intelligo quomodo dici poſſit, perpeſſu aſpera, quæ pertuli exhauſta corpore atque animo. ac nullum eſſe puto cui non videatur dicẽdum fuiſſe potius, Exhauſto corpore atque animo. Quod ſi ita eſt, ſcribendum eſſe conſtat *exantlato*. Atqui *exantlata*(dicet aliquis) ſumi etiã poteſt pro tolerata. Quin alibi ita accipiatur, nõ nego, ſed hîc ita poſſe accipi, nego. quis enim vnquam ita loquatur? Perpeſſu aſpera, quæ pertuli tolerata corpore atque animo. Omnino enim redũdare participium illud neceſſe eſſet. Et quoniam in huius verbi mentionem incidi, occaſionẽ dicendi de eo quæ nullus alius antea adnotauit, nõ prætermittã. Verbum Exantlare grammatici à Græco ἐξαντλεῖν deriuatũ eſſe(ſicut ſimplex Antlare ab ἀντλεῖν) & nonnunquã pro Exhaurire accipi, vt illud apud Græcos: nõnunquam verò, & multo frequentius pro Perpeti, ſiue

Tolerare aiūt:& illius ſignificationis vnum ex Plauto exemplum proferunt: huius ſatis multa, non ex poetis tantùm, ſed ex ipſo etiam Cicerone. At ego in eo quod duas haſce ſignificationes huic verbo tribuunt, illis aſſentior: ſed in eo quod pro vtraque ſignificatione vnam dant deriuationē, an illis aſſētiri debeam neſcio. Nam apud Plautū quidem quin Vinum exantlare ſignificet ἐξαντλεῖν, id eſt exhaurire, non dubito:(quid enim aliud ſignificare poſſit?) ſed quod Latine dicitur, Exantlare labores, vt vix Græcè dici poſſe exiſtimē ἐξαντλεῖν πόνους, facit AEſchylus, apud quem reperio verbū ἀπαντλεῖν, quod idem prorſus ſignificat,& cum eodem nomine iunctum, in contraria prorſus ſignificatione. Nam apud eum Κράτος Prometheo hæc dicit, pag. 10. meæ editionis, -τί σοι Οἷοί τε θνητοὶ τῶνδ' ἀπαντλῆσαι πόνων; illi inſultās afflicto, & eum irridens quòd apud mortales male locata fuiſſēt illi tot beneficia: vt pote quorū ope nihil omnino minui de eius ærumnis poſſet. Si igitur ἀπαντλεῖν ſiue ἐξαντλεῖν πόνους ſumitur actiuè,& Labores diminuere ſignificat: quomodo Exantlare labores, ab illo deductū, neutraliter accipiatur,& perpeti labores ſignificet, meritò quæri poſſit. Hūc ergo vt eximā ſcrupulum, proponā & aliam huius verbi originem, quam doctorum virorum iudicio permittā: nimirū vt Exantlare labores ſit quod, mutatis Latinis in Græcas literis, dicas ἀνατλᾶν & ἐξανατλᾶν πόνους. Nam quanuis multa ſint apud Græcos verba in hac etiā re exprimēda ſynonyma, inſitā tamen huic verbo maiorem quādam quàm vlli alii vim eſſe, obſeruaui. Siquidem vt Cicero quum poſſit dicere, Ferre, Perferre, Perpeti, Tolerare labores, tamen vt iſtis omnibus ſignificātius vſurpat verbum Exātlare: ita etiam Græci quum vti poſſint his φέρειν, πάσχειν, ἀνέχεσθαι, & aliis quæ mihi non ſuccurrūt (nam ὑπομένειν

& καρτερεῖν non ſimpliciter id ſignificant:(vt nec ἀνέχεσθαι interdū)tamen ἐξοχὴν quandam huic verbo tribuunt, vt maiorē habenti emphaſin. Sic à quodam idoneo ſcriptore dictum eſt in oratione ſoluta, ἀλλ' ἡ μὲν μήτηρ σὺν τῷ κυῆσαι καὶ γεννῆσαι καὶ τιθηνῆσαι μυρίους ἄλλους ἀνέτλησε πόνους. ſic in carmine ab Hermeſianacte, Μίμνερμος δὲ τὸ ἡδὺ ὃς εὕρετο, πολλὸν ἀνατλὰς, Ἦχον, καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου. Quid? nōne ab Homero ex multis epithetis vnum deligitur πολύτλας, quod πολλὰ μογήσαντι & πολλὰ πεπονθότι Vlyſſi tribuatur? Quinetiam ab hoc verbo factū eſt nomen τάλας, pro miſero: quum à reliquis ſynonymis nullum itidem. quod quidē tam ſignificanſtámque frequens ſit, formatum reperiatur. Et vt tandem finiam, ſumma ſit hæc, ſuſpicari me, Exātlare apud Latinos, quum exhaurire ſignificat, eſſe merū verbum Græcū ἐξαντλεῖν, Latinis literis ſcriptū & Latina terminatione quaſi veſtitum: at quum ſignificat tolerare, eſſe purum putúmque Græcum ἐξανατλᾶν, eliſa tamen per ſyncopen litera α. Præſertim quū ex AEſchylo probauerim ἀπαντλεῖν ſiue ἐξαντλεῖν πόνους, nō accipi in ſignificatione neutra pro perferre labores, ſed in actiua pro Labores minuere & leuare, ducta videlicet ab iis metaphora quæ hauriendo, paulatim minuuntur, donec tandem exhauriantur. Et hæc quidem ego probabiliter. Quid ſi verò (libet enim vtrā que in partem Academicorum more diſputare) huic AEſchyli loco, vbi compoſito ἀπαντλεῖν ita vtitur, alii duo opponantur in quibus ſimplex ἀντλεῖν vſurpat? Dicit enim in Prometheo, pag. 27 meæ editionis, Ἐγὼ δὲ τὴν παροῦσαν ἀντλήσω τύχην. & in Choëphoris, pag. 257, Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τλημόνως ἤντλουν κακά. Poſſit fortaſſe aliquis & ei qui hos locos oppoſuerit, probabiliter ita reſpondere: aliud eſſe ſimplex ἀντλεῖν, quod

Latinè eſt Haurire:aliud ἐξαντλεῖν ſiue ἀπαντλεῖν cõpoſitũ,quod Latino Exhaurire reſpõdet:ideóque diuerſa etiam quæ ex his facta ſint, eſſe loquendi genera. & quemadmodum non idem eſt aquã ex puteo haurire,& puteum aut putei aquam exhaurire,ſed haurienda eſt diu antequam exhauriatur, & nulla in eo relinquatur:ita etiam aliquem ex hac vita,tanquam miſeriarum fonte, poſſe meritò dici ἀντλεῖν κακά, vt ex puteo aquam:ſed ἐξαντλεῖν κακά,id eſt exhaurire, (perinde quaſi nullas in poſterum ſibi aut aliis reliquas faciat miſerias) minime poſſe dici. Quanquam vereor necui nimium ſubtiliter hæc à me dici, & nimium ad viuum videantur reſecari. Ea igitur doctioribus viris propoſuiſſe ſit ſatis: quæ poſtquã diligenter conſiderauerint, illorum ſtare iudicio non recuſabo. Interim ad hunc locum quod attinet,nullo modo hîc legi poſſe *exanclato* dico: imo verò non ſolùm hinc,ſed ex totius linguæ Latinæ finibus ablegandam eſſe hanc vocem audacter pronuntio. Sequor igitur eorũ quæ olim edita fuerunt exemplariũ lectionem: ſed ne eam quidem vſquequaque,verùm ex parte duntaxat.nam quum illic *exantlata* legatur, ego quòd nõ ſyllaba *cla* ſed *tla* poſita ſit,probo:quòd autẽ *ta* nõ *to*,probare nõ poſſum.ideóque ex duabus malis lectionibus *exanclato* & *exantlata* bonam vnam faciendam cenſeo *exantlato*.quod pro exhauſto poſitum,ſignificationi verbi ἐξαντλεῖν reſpondebit,eíque quam explicuimus metaphoræ conſentaneum erit.

Pag. c x v.

Heu uirginalem me ore ploratum edere.

Non editur ploratus ore, ſed oculis.quãquam excuſatio aliqua huic ακyrologiæ quærit poſſet.verùm nihil neceſſe eſt:ſed potius in mendoſæ lectionis locum reponenda vera fuerit. Quænam igitur eſt illa?

Quam hîc ſcribam(ſi tamen non fallor):*Heu uirginali more ploratum edere.* falli autem me qui dicet, is dicat etiam quid iſta verba ſignificẽt, ὥσπε παρθένος,ſi hoc non ſignificant.

Pag. c x i i.

Mederi poſſe rationem iracundiæ.

Non dubito quin hic *rationem* pro *orationẽ* habeamus: quum AEſchylus dixerit λόγοι,non autem numero ſingulari λόγος: & λόγοι plurali numero verba ſiue orationem ſignificet,item rationes,id eſt cauſas, αἰτίας:at non rationem,à qua dicitur homo rationale animal. Quinetiam ex ſequentibus ita legendũ eſſe liquet. nam fateor quidem rationem etiam mederi iracundiæ: ſed cur addidiſſet, Si modò quis tempeſtiuè eam medicinam adhibeat: quum ea nunquam intempeſtiua eſſe poſſit?Longe autem manifeſtiſſimum ex præcedentibus apud ipſum poetam id fuerit. Sed quo tandem pacto metiri hũc verſum poterimus, ſi *orationem* legamus?redũdabit enim aliquid. Certe infinitiuus *poſſe* qui in Græco verſu non habetur, ideóque redundare videri queat, expunctus, nequid redundaret, facere poſſet. ſed ego, quia duriuſculus remaneret ipſe verſus(quanuis & alii tales) de hoc ἐπέχω:illud tamẽ firmè tenẽs,ſcripſiſſe Tulliũ Orationem, quocunque modo locum ei hîc inuenerit. Cæterum & in Græco verſu error eſt,meo iudicio.nam ὀργῆς νοσούσης, non placet: & reponẽdum exiſtimo ψυχῆς νοσούσης,contra fidem tamẽ omnium quæ vidi & quæ ante me vidit Petrus Victorius exẽplarium: ſed quorum omnium fidei opponere vnius Plutarchi authoritatem non dubitem. Vide meas in variè ſcriptos AEſchyli locos obſeruationes:quas ad calcem tragœdiarum ipſius à me nuper editarum, adiunxi.

EX LIBRO DE SENECTVTE.

Pag. CXXIII.

Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio: quum tanta celeritas animorum ſit, tāta memoria præteritorum, futurorum prouidentia, tot artes, tot ſcientiæ, &c.

In omnibus quas vidi editionibus legitur *futurorum prudentia*, & ita legit etiam Nonius: ego tamen non dubitaui reponere *prouidentia*, nec vllam reprehenſionem reformido, quippe qui hanc in veteri codice lectionē repererim, quam & alio Ciceronis loco cōfirmare poſſum. Is eſt Tuſc. 1, His enim in naturis nihil ineſt quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia.

CASTIGATIONES IN EPISTOlas quæ familiares vulgò appellantur: quum debeant vocari Epiſtolæ ad familiares.

LIBRI I Epiſt. VII.

Quod mihi de filia & de Craſſipede gratularis, agnoſco humanitatem tuam: ſperóque & opto nobis hanc coniunctionem uoluptati fore.

Spero hoc futurum, dicitur: at, Opto hoc futurum, non item: quare malim inuerſo ordine legere, *optóque & ſpero*. vt Opto cum ſubaudito infinitiuo Eſſe, at cū Fore iungatur Spero. Nam etſi eiuſmodi dicendi generum quale iſtud eſt, exempla aliqua extant: potius excuſari tamen quàm laudari ſolent. cur ergo Ciceronē, vbi facillimè potuit, ea vitaſſe nō exiſtimemus?

Epiſt. IX.

Atque hanc quidem ille cauſam ſibi ait non attingendæ Reip. fuiſſe, quòd quum offendiſſet populū Athe-

niẽſem propè iam deſipientẽ ſenectute, quúmque eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe vidiſſet: quum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe nõ arbitraretur.

Hîc certe Ciceronem in Cicerone deſiderarem, ſi eum ita ſcripſiſſe crederem: ſed omnino mihi perſuadeo ſcriptum reliquiſſe *quem perſuaderi*. Equidem illa altera lectio eiuſmodi eſt vt primo aſpectu pendere etiam ſententia videri poſſit.

LIBRI VI Epiſt. IIII.

Quanto fuerim dolore, meminiſti. in quo prima illa conſolatio eſt, vidiſſe me plus quàm cæteros, quũ &c.

Legendum eſt *in dolore*, etiamſi Ciceroniani quidam hãc locutionem, vt quo rariorẽ, tanto elegantiorem, amplexi ſint. Dicant igitur eodem modo, Ego ſum lætitia. Itidem verò quia libri 7 epiſt. 4. etiã in Manutiana editione legitur, *Quare ſiquod conſtitutũ cum podagra habes*, hoc dicendi genus magis Ciceronianum eſſe iurabunt, Aliquod conſtitutum habere cum aliquo, quàm ſi dicatur, Aliquid conſtitutum. Item quia proximè ſequente epiſtola legitur etiam in illa ipſa editione *Singularis memoria*, vbi legendum eſt *ſingulari*, clamabunt, imò verò iam clamant, magis Ciceronianum ſtylum redolere hãc locutionem Hominem ſingularem memoria, quàm illam, Hominem ſingulari memoria. Nec tãtùm in his ſed in aliis multis multóque maioris momenti locis ex librorum erroribus raras quaſdam elegantias homines huiuſmodi fecerunt. Quidni verò, in his dicẽdi generibus, fidem adhibeant quantunuis mendoſis libris iſti minorum gentium Ciceroniani, quum quidam ex illis maiorum gentium Ciceronianis deprauatiſſimi cuiuſdam exemplaris (manuſcripti tamen) authoritate fretus, Multiſſimus ſuperlatiuum pro

Plurimus vſurpare nõ dubitarit, imò ſcriptum etiam reliquerit? Sciunt multi quem dicam.

LIBRI VII Epiſt. x.

Subinuideo tibi, ultro te etiam accerſitum ab eo, ad quem cæteri, non propter eius ſuperbiam, ſed propter occupationem, aſpirare non poſſunt.

Puto certam quandam occupationem hîc non notari, legendúmque eſſe *occupationes*. vt epiſtola 8, Nõdum te ſibi ſatis eſſe familiarem, propter occupationes ſuas: ſed certè fore. Item epiſtola 9, Equidem velim cum Cæſare: ſed ad eum, propter eius occupationes, nihil ſum auſus ſcribere.

LIBRI VIII Epiſt. I.

Quod ad Cæſarem attinet, crebri & non belli de eo rumores ſed ſuſurrationes duntaxat ueniunt. alius equitem perdidiſſe, quod opinor certè factum: alius, ſeptimam legionem uapulaſſe.

Pro *factum* legendum eſſe puto *fictum*. Opponuntur autem hæc duo, vt ex illo epiſtolæ ad Octauium loco (quæ tamen νοθεύεται) apparet, Quiſnam tali futurus ingenio eſt qui poſſit hæc ita mandare literis vt facta non ficta videantur eſſe?

Epiſt. x v.

Quid eſt? nunc tibi noſtri milites, qui duriſſimis & frigidiſſimis locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis eſſe paſti uidentur?

Ita legitur cum in aliis editionibus, tum etiam in Manutiana: at ego quin legendũ ſit *num tibi* neſcio cuius fuerit dubitare.

Epiſt. x v I I.

Atque hoc nullius præmii ſpe faciam, ſed, quod apud me plurimum ſolet ualere, doloris atque indignitatis cauſa.

Quin legendum hîc ſit *indignationis*, negabit, vt opinor, qui quidem Latinè ſciet, nemo.

LIBRI IX Epiſt. VII.

Sed ridicula miſſa: præſertim quum ſit nihil quod rideamus.

Hîc eſſe τμῆσιν verbi *faciamus* fatebuntur omnes: ſed quam ego non ab ipſo Cicerone conſultò, ſed temere & per errorē à librario factam exiſtimē. ideóque ſcribere libet *miſſa faciamus*. donec mihi quis ſimilē τμῆσιν in locis aliquot minimè dubiis oſtēdat.

LIBRI X Epiſt. XVII.

Lepidus tandem quod deſiderabam fecit, ut Apellam ad me mitteret: quo obſide fide illius & ſocietatis in Rep. adminiſtranda uterer.

Quis vnquam & quo ſenſu Fidem obſidem vocauerit? Vt verò Fide obſide cōmodè hic dici poſſe demus, quomodo hæc inter ſe iungentur verba? quo Apella, fide obſide, &c. At ſi in locum ablatiui *fide* reponatur genitiuus *fidei*, nihil aptius aut elegantius dici potuiſſe arbitror. Nam qua ratione aliquis fidem alterius liberare, eadē etiam fidei alterius obſes eſſe dicitur. Sed & qui à Cicerone acceptam hanc phraſin vſurpauerint, inuenimus. Nec verò licentia poetica illum in ſcribenda epiſtola vſum eſſe credibile eſt.

LIBRI XIII Epiſt. XXIX.

Notæ tibi ſunt uarietates meorum temporum in omni genere & honorum & laborum meorum: & animus & opera & authoritas & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præſto fuit & paruit & temporibus & fortunæ meæ.

Totam ſententiam adſcribo, ne tibi, lector, ad ferendum de mea coniectura iudicium, librum Ciceronis adire neceſſe ſit. Quāquam legendum hîc eſſe

ſtatuit

patuit non *paruit*, certius eſſe puto quàm vt pro cõie-ctura haberi debeat. Atqui, dicet aliquis, in omnibus editionibus legitur *paruit*: & nõnullos Ciceronianos hãc vocem in iſto dicendi genere probaſſe, argumẽto eſſe vel hoc poteſt, quòd ipſi eam vſurpare nõ dubitarunt. Ego verò illi ita reſpondebo, Si tantum authoritatis apud me Ciceronicolæ haberent, quãtum apud eos hic vel ille mẽdoſus liber habuit: & quantum ei fidei tribuerunt, tantũ ego viciſſim ipſis tribuendũ eſſe cenſere m nõ ſolum genus hoc loquẽdi ſed alia multo magis à Ciceronis ſtylo vel potius ab omni Latinitate aliena reciperem, & contrà nonnulla verè Ciceroniana à Ciceronis libris excluderẽ. ſed iamdudũ iſtos qui Ciceronianos ſe appellari volunt (aliquot excipio) tam malos eſſe Latinitatis iudices mihi perſuaſi, vt quod maximè eorum iudicio probatur, id mihi ſuſpectũ ſit vel maximé. Quare inuitis & repugnantibus illis repono hîc *patuit*. Sed me pudet, me pudet, inquã, eo rem rediſſe, vt hæc etiam mea tam certa alioqui & indubitata caſtigatio probatione tamen opus habeat. Verùm apud quos probatione eget? nempe apud eos homines qui non iam Ciceronicolarũ ſermonẽ ex Ciceroniano, ſed Ciceronianum ex Ciceronicolarum ſermone æſtimandum eſſe arbitrantur. At enim cedendum eſt tempori, & hominum ignorantiæ dandum eſt aliquid. quæ ergo ſpectant ad caſtigationis huius confirmationẽ, afferantur. Dico infinitos propemodum apud Ciceronem eſſe locos, in quibus verbo Patere hac in ſignificatione vtatur. ex quibus tamen vnum proferre ſatis erit ex oratione pro Corn. Balbo hunc, Iniurioſum & contumelioſum eſt, his præmiis & his honoribus excluſos eſſe fideliſſimos & coniunctiſſimos ſocios, quæ pateant ſtipendiariis, pateant hoſti-

bus,pateant ſæpe ſeruis. Quid ſi verò locum hunc & alios omnes illi ſimiles æquè ſuſpectos habeat aliquis, atque ego hunc habeo? & quum ex illis locis hunc caſtigare ego velim,illos ipſe contrà ex hoc caſtigandos eſſe exiſtimet? Tam proclinem certè lapſum ex *t* in *r* quàm ex *r* in *t* eſſe confiteor: ſed habendam hîc eſſe rationem cuiuſdam ſignificationũ, vt ita dicam, analogiæ quis negare audeat? Si ergo dicitur res familiaris alicuius mihi parere & obedire,quando ille mihi eam impertit mecúmque communicat: nimirũ res familiaris alicuius dicetur mihi non parere ſed repugnare,quam mihi non impertit cuiúſque me participem non facit. Atqui audita hæc locutio nũquam fuit: ſed potius dicitur res mea familiaris tibi claudi,cuius tibi vſum denego. Sic Terentius dixit Eunucho, Nuncubi meam benignitatem ſenſiſti in te claudier? Quis autem non videt verbum Claudi oppoſitum eſſe verbo Patere,nõ autem Parere ſeu Obedire? Verumenimuero quid hũc ego Terentii locum profero? ecce enim pro Claudier aliud nuper ex vetuſto exemplari in Veneta editione repoſitum fuit verbum, videlicet Caluier. adeo vt illa vox quam vt certam ad hanc probandam affero,ipſamet probatione egeat: vtpote quam contro uerſam vetus reddat exemplar. Quinetiam illic Donatus non ipſam quidem vocem ſed eius dubiã reddere videtur ſignificationem. Legit enim Claudier, ſed duplicem eius affert explicationem: vt videlicet aut pro Claudi aut pro Claudicare poſitum ſit. At ego in veteri illo exemplari (ne quid grauius dicam) deſidero cõſtantiam, in Donato autem diligẽtiam. Cur enim in Andria vbi vulgaris lectio eſt,Nolo tibi vllum commodum in me claudier, exemplar illud nõ habebat itidem Caluier? Cur verò nõ itidem

Donatus hîc Claudier ambiguam ſignificationem habere dicebat? Quod tamē nihilo magis in illo quā in hoc loco adnotaturum fuiſſe exiſtimo, ſi ſignificationis oppoſiti verbi Patere recordatus fuiſſet: aut verbi Excludi, quo, diuerſa quidē conſtructione, ſed eodem ſenſu vtitur M. Tullius quo Terentius vſurpat Claudi. Quis enim præmiis & honoribus excluditur, niſi is cui præmia & honores non patent, ſed clauduntur? Sedenim quum mihi iam multo maius ſit certamen quàm fore putaram: (vtpote quem non iſtam modò caſtigationē meam in hac epiſtola contra illos ineptiſſimos Ciceronicolas, ſed etiam illam apud Terentium lectionem contra codicem antiquum & doctiſſimum etiam grammaticum Donatum tueri oporteat) illo me Ciceronis loco armabo, in quo ita legitur, Nec ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeranda vt pateat omnibus. En vt pulchrè ex Cicerone Ciceronem & Terentium etiam ipſum explicatū habemus: vt videlicet idem valeant hæc verba, Res familiaris C. Capitonis patuit mihi, atque illa. Rem ſuam familiarē mihi reſerauit C. Capito, vel aperuit. Aut, Rem ſuam familiarem mihi nunquam clauſit C. Capito. Et quod dixit Terentius, Meam benignitatem in te claudi, Ciceroniana periphraſi dici poſſit, Rem meam familiarem tibi benignitate mea nō aperiri. Eant nunc igitur Ciceronipetæ & peruicaciter aduerſus me pugnent pro verbo Paruit: eat vetus exemplar & nobis exhibeat Caluier: eat Donatus & Claudier exponat Claudicare. Quid iā habēt quod mihi opponant? nihil opinor. Quid dico? Imo verò antequam illam quam reponere volo lectionem euincam, quorundam Ciceronicolarum refutandum mihi ſupereſt argumentum, vt ipſi quidem vocant, grauiſſimum & firmiſſimum: at, vt omnes qui

ſanæ ſunt mentis appellabunt, leuiſſimum ac futiliſſimum, atque adeo ineptiſſimum, id eſt illorum ſimillimum. Hunc enim Ciceronis ex 3. Verr. locum proferunt, Túne quod videris, quod audieris, quod cõcupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutũ tuũ præſto fuerit, niſi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immittentur homines? Et poſtquam hæc verba recitarunt, mirari ſe dicunt cur verbum Paruit poſt Præſto fuit, me magis offendat in illo epiſtolæ quàm in hoc Verrinæ orationis loco. O ſtupidos & bardos homines, ô corpora ſine pectoribus, ô putida hominũ cerebra: quæ tamen ſiqua habent, non in capite ſed in calcaneis geſtant. Et tot verbis opus eſt (proh pudor) ad conſeruandam ſartam tectam ab iſtorũ contumeliis Ciceronianæ dictionis dignitatem? Iſti tamen, quales quales ſunt, Ciceronis veri imitatores vocabuntur, & viri ſummo iudicio atque ingenio præditi ab illis toti pendebunt, atque in eorum verba iurabunt & quorum, vt cæcorum, duces eſſe deberent, ab illis duci ſe poſtulabũt? Xanthe retro propera, verſæque recurrite lymphæ.

LIBRI XV Epiſt. XI.

Ego, ſi me nauigatio non morabitur, quæ inærrebat in ipſas eteſias, propediem te, ut ſpero, uidebo.

Cum in aliis editionibus, tum in Manutiana, & ea quæ nuperrime exiit, ita legitur, conſentientibus etiam nonnullis Ciceronianis. quos ego lubẽter rogauerim cuius generis ſit *eteſias*: & libri proxime ſequentis epiſtola 9, ex quota declinatione Græca factũ ſit *hebdomadam*. Sed hæc Græca ſunt, ideóque ab illis ignorantur: & vt Græca non eſſent, ignorare tamen ea ſuo quodam iure poſſent. quia nõ eſſe ex Ciceronianæ grandiloquentiæ dignitate, in ediſcendis grãmaticorum Latinorum, nedum Græcorum, præce-

ptionibus tempus atque operam ponere Ciceronipetæ iſti exiſtimāt. Teſtis ille qui ita ſcribit, Pro plurali ſingulare poſitum eſt. Quod grāmatices perićius dixiſſet, Pro plurali ſingularis poſitus eſt. Sed quid ſi apud Tulliū vocem numerū neutro genere vſurpatam in vetuſto exemplari reperit, in illo ipſo nimirum in quo & Multiſſimus pro Plurimus ſe reperiſſe dicebat ex eadem familia quidam, atque adeo vſurpabat? Quemadmodum verò dicit Singulare [numerum] poſitum eſt, nouo quodam more: ita etiam paulo pòſt Quanta, pro eo quod dicimus Quot vel Quā multa. Quid ſi verò etiā hìc alicui⁹ vetuſti libri authoritate nititur? At tu lege hìc *ipſos* & *hebdomadē*.

IN LIB. EPIST. AD BRVTVM. Epiſt. x v.

Quòd ad te, tanquam ad alterum me, proficiſcens, & officio fungebatur, & laudem maximam ſequebatur.

Sequi famam, Horatius dicit: ſed aliud laus, aliud fama. ideo, vt magis vſitatam, & magis, meo quidem iudicio, aptam huic loco, malim reponere hanc lectionem, *laudē maximam aſſequebatur*, aut *conſequebatur*.

IN LIB. EPIST. AD Q. FRATREM LIBRI I Epiſt. I.

Sed tamen parui refert abs te ipſo ius dici æqualiter, & diligenter, niſi idem, &c.

AEquabilitatem iuris exercere, & AEquabilitatem iuris tranſire, Cicero dicit, non AEqualitatem. Vnde fit vt legam hìc *ius dici æquabiliter*. Scio tamen Ciceronianos de his duobus vt de aliis multis ita iudicaſſe quaſi à Cicerone confundantur: ſed in hoc iudicio ferendo, ſe omni carere iudicio declaraſſe mihi videntur.

Epiſt. I I I.

Vtinam te non ſolùm uitæ ſed etiam dignitatis meæ ſuperſtitem reliquiſſem.

Ex hoc loco probari vulgò ſolet cum genitiuo iungi etiam apud Ciceronem vocabulũ Superſtes. quaſi verò ad tam multa alia eáque grauiſſima quæ in Ciceronianis libris manifeſtò comperta ſunt mẽda, leuiſſimum hoc accedere non potuerit, additæ perperam vnius literulæ ad finem vocis. Nam quod apud Tacitũ legitur, Bellorum ſuperſtites, nihil nos mouere debet: quũ non eadem huius & illius ſcripta ponderentur trutina.

LIBRI II Epiſt. V I I I.

Oppoſuiſti ſemel ἀντίεκτον cauſam, Ciceronis noſtri ualetudinem: conticui. iterum Cicerones: quieui.

Ita legitur in omnibus quas mihi videre contigit editionibus: inter quas Manutianam numero: in qua etiam explicatur ἀντίεκτον, æquilibrem. Quomodo verò ἀντίεκτον, quæ vox eſt ἄσημος, hoc ſignificare poteſt? Quale nomen illud erit? ſimpléxne an compoſitum? Compoſiti nominis formam habet: at diſſolui tamèn duas in partes non poteſt. Deinde eritne primitiuæ ſpeciei (nec enim me pudebit vnquam grammaticorum verbis vti) an deriuatiuæ? Primitiuæ eſſe non poteſt: deriuatio tamen eius nulla reperitur. quomodo autẽ reperiretur quæ nulla eſt? Denique vnde coniecerint hanc eſſe vocabuli huius ſignificationem, coniectura ipſe aſſequi non poſſum. niſi fortè ad ἡμίεκτον reſpexerũt. ſed apage tantam ignorantiam. Ego parua cum mutatione veram lectionem reponam. nam ſyllaba αν geminata, & inter π atque ε inſerta litera λ, vocem ἀνανπίλεκτον bonam & bene Græcam, atque huic loco perappoſitã dabo: & hanc coniecturam ἀνανπίλεκτον eſſe profitebor.

Epiſt. XIII.

Ac fortaſſe efficiam quod ſæpe uiatoribus, quum properant, euenit, ut, ſi ſerius quàm uoluerunt, fortè ſurrexerint, properãdo etiam citius quàm ſi de multa nocte uigilaſſent, perueniant quò uelint: ſic ego, &c.

Hanc quoque phraſin De multa nocte vigilare, vſurpauit quidã Ciceronipeta: & à me reprehenſus, Quidni vtar, ait, quo meus vſus eſt Cicero? Quúmque locũ hũc protuliſſet, falleris, inquam, Ciceronicola: & de tuo magiſtro peſſimè mereris, qui nullis niſi planè ruſticis auribus ferendam locutionem illi affingas: & proprietatis Latinæ linguæ imperitiſſimum facias, ſi, quid inter ſe verba Vigilare & Euigilare differrent, & quis huius, quis illius vſus eſſet, ignorauit. Tunc ille, Nouumne tibi videtur vt Cicero pro eo quod alibi dicit Ad multã noctem vigilare, hic mutata conſtructione dicat, De multa nocte vigilare? quaſi verò non ſæpe diuerſam eidẽ verbo eadem in ſignificatione M. Tullius det cõſtructionem. Hæc ille. at nos peruerſum hominis contemplemur iudiciũ: ſi tamen vllo iudicio præditus dici poteſt. Nam ſi hic eſſet verborum Ciceronis (vt ille volebat eſſe) ſenſus, Si ſerius ſurrexerint, properando etiam citius quàm ſi ad multam noctem vigilaſſent, perueniant quò velint: Si inquam hic eſſet verborum Ciceronis ſenſus, ex iis colligeremus, eos qui ad multam noctẽ vigilauerint, ſolere citò cõficere inſtitutum iter: vtpote cum quibus compararet eos qui ſerius ſurrexiſſent, ſed properarent. At his quid ineptius, quid abſurdius fingi poteſt? Miſſum igitur illum faciamus, & quicunque illi ſunt ſimiles: ac pro *uigilaſſent* audacter reponamus *euigilaſſent*, id eſt expergefacti fuiſſent. Quanta ſit autem differentia inter Vigilare & Expergiſci, id eſt à ſommo excitari, quis non videt? Ergo Vigilare ad vel in multam noctem, rectè dice-

tur, vt Dormire in multam noctem: item Vigilare ſiue Dormire vſque ad lucem. at Vigilare ſeu Dormire de multa nocte, niſi ab eo qui omnino mente careat, nunquam audietur: ſed Euigilare, Expergiſci ſiue Expergefieri, Surgere de multa nocte. Nec verò putãdum eſt hæc duo verba Vigilo & Euigilo talia eſſe vt alterum pro altero poni poſſit. Nam etiam inter eum qui dicitur Vigilare ad multam noctem, id eſt, bonam partẽ noctis inſomnẽ ducere: & eum quẽ dicimus Euigilare de multa nocte, id eſt è ſomno excitari, hoc intereſt quòd hic poſteriorem partem noctis, ille priorem inſomnem duxit. Vigilare igitur pro Euigilare, id eſt expergiſci, poni nullo modo poteſt: at Euigilare pro Vigilare quidem vſurpatum reperitur, ſed ita vt litera E nihil prorſus ſignificet, nihilo magis quàm in Egelidus pro Gelidus. Nam vt dictùm eſt à Propertio, Non habet vltores nox vigilanda deos: ita etiam à Tibullo, quum fletu nox vigilanda venit. Qui quum alio loco Vigilanda dicere itidem non poſſet, quòd plenus non eſſet futurus verſus: præpoſita litera E, quæ ſyllabã vnam efficeret, protulit Euigilanda. Verſus lib. 1. eleg. 8 eſt hic, Eſt mihi nox multis euigilanda modis. Et quanuis ſint quædam verba quibus ſine diſcrimine, vel præfixa vel non præfixa hac litera, vtatur etiam ſoluta oratio (ex quibus ſunt Mollio, Emollio) hoc tamẽ, niſi in carmine, vti fas nequaquam fuerit. Vt igitur tandẽ aliquando huic diſputationi finis imponatur, repugnãtibus licet omnibus editionibus hìc *euigilaſſet* legendum eſſe contendo. Quinetiam apud Plautum in Moſtellaria quodam loco (qui mihi nunc cõmodùm in mẽtem venit) idem erratum eſſe exiſtimo. Eſt autem hic,

T. Quis iſtic dormit? P. Callidates. T. Suſcita iſtum, Delphium.

D. Callidates, Callidates vigila. C. Vigilo:cedo vt bibam.

D. Vigila:pater aduenit peregre Philolachis.

Hîc certè non dubito quin dicere voluerit Callidati dormienti Delphium, Callidates expergiſcere: Callidates autem reſpondeat, Expergiſcor. adeo vt legendum putem, Euigila & Euigilo. At tertio verſu rectè Vigila. quia eius eſt qui euigilauerit, & experrectus è ſomno fuerit, curare vt vigilet. Gallica lingua eodem omnino modo præpoſita litera E, differentiã inter hæc duo ponit. inclamabit enim Gallus Gallo dormienti, *Eſueillez uous*, Euigila. *Veillez*, Vigila. *Ne uous rendormez pas.* quod ſonat Latinè, Noli redormire. Nec tamen nego poſſe aliquo modo ferri etiam in prioribus illis duobus locis Vigila & Vigilo: ſed ita hoc fateor, vt magis propria eſſe Euigila & Euigilo, conſtanter affirmem. In hoc autẽ Ciceronis loco longè aliam eſſe rationẽ nemo non videat, qui quidẽ aliquo ſit præditus iudicio. De quo loco hoc quoque adnotare oblitus eram, particulã *etiam* quæ in omnibus editionibus perperam poſita interpunctione, iungitur cum *properando*, cum *citius* iungi debere. neque enim dicit *properando citius*, ſed *perueniant etiam citius quàm ſi, &c.* idque *properando*, id eſt, properatione tarditatem corrigentes.

LIBRI III. epiſt. I.

Dicentem Apollinem in conſilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus eſſet.

Ita legitur in omnibus editionibus quas quidem viderim: (vidi autem multas) nem inem tamen mihi pro *conſilio* reponenti *concilio* repugnaturũ exiſtimo.

Epiſt. II.

Magna res in motu eſt, propterea quòd aut hominũ aut legum interitus oſtenditur.

Non vult dicere rem magnam eſſe in motu, nec de magnitudine rei, ſed de magnitudine mot' agit: id eſt, non quanta ſit res (eam enim æſtimare poterat Quintus) ſed quãto in motu ea ſit, oſtẽdit. Lege igitur, inuitis exemplaribus, non *magna*, ſed *magno*.

Epiſt. VIII.

Quid? ſi cæmentum bonum non haberem, deturbem ædificium?

Non poſſum iis aſſentiri qui dicunt Ciceronem nonnunquam & modos confudiſſe & tempora: quo fit vt cum alios locos emendandos putem, tum verò hunc: vt videlicet legatur *haberem, deturbarem*, aut *habeam, deturbem*.

IN EPIST. AD OCTAVIVM.

AErarium exhauriebat, minuebat uectigalia, donabat ciuitates ex commentario, Dictaturam gerebat.

Superuacanea (vt ego quidem iudico) literula *s* in nomine *ciuitates*, magni erroris hîc cauſa eſt. Quas enim ciuitates donabat M. Antonius? Ciuitates certè nõ donabat his aut illis, ſed hos aut illos ciuitate donabat, idque ex cõmẽtario Cæſaris. Subſtituo igitur ablatiuum numeri ſingularis *ciuitate* in locũ accuſatiui pluralis *ciuitates*. & pro me etiam apertè facit alius Ciceronis locus, qui tamen mihi nunc in promptu non eſt.

IN EPISTOLAS AD ATTICVM CASTIGATIONES.

LIBRI I. Epiſt. I.

Tito mandaui: σκέψεις atque ἀναβολαί.

Ita legitur & in Manutiana editione: vbi explicatur σκέψεις, cõſyderationes: vt bene expoſitũ ſit quod malè & minimè conuenienter poſitum eſt vocabulum. In eius itaque locũ repono σκήψεις, & interpretor Tergiuerſationes. ἀναβολαὶ autẽ mallem reddere

Procraſtinationes: vel,pluralẽ ſingulari interpretãs, Moram . quia Cicero pro duobus Græcis vocabulis quæ hîc copulat, alibi duo illa Latina copulauit Moram & Tergiuerſationem. Et vt hæc nomina verbalia Græca illis Latinis, ita Græca verba σκήπτεσθαι καὶ ἀναβάλλεσθαι his Latinis Cũctari & Tergiuerſari, expreſſit lib.7.harũ epiſt. Et lib 16.epiſt. 4, legitur, Narrauit illum valde morari, non tergiuerſantẽ, ſed expectantem ſiqui forte caſus.

Epiſt. XIIII.

Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, Ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. Noſti Caluum, &c.

Quorſum hæc verba? Ὅππως δὴ, &c. Tãtum certè abeſt vt Cicero ex verſibus plura quàm opus ſit vocabula & à propoſito ſuo aliena proferat, vt neceſſaria potius (niſi πρὸς εἰδότα ſcriberet) non ſine reprehenſione prætermittere dici poſſet. vt libri proximè ſequentis epiſtola vltima πρὸς τῶν κρατούντων, ſenſu omnino imperfecto manente. Itidem libri 4, epiſt.7, οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν. Et lib.8, μηδὲ δίκην. Hæc igitur verba vt temere ab aliquo margini adſcripta, ita temere ab alio quopiam in contextum relata, expungere ne dubita: licet in Manutiana editione & in ea etiam quæ nuperrime exiit habeantur.

Ibidem.

Iam verò (ô dij boni rem perditam) etiam noctes certarum mulierum atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt.

Quod gẽneraliter epiſtola huius libri 16 dicit, Empto coſtupratóque iudicio, hîc veluti per partes exponit. Sed quid iſtud verbi eſt *introductiones*? Iſtis tã ſuſpicioſis hanc vocem in ſuſpicionem non veniſſe

miror. nam quoduis potius verbum quàm hoc conuenit huic loco, ſeruata quidem certè Latinæ linguæ proprietate, & ipſius vocis origine. Nam ſi Latini in denominandis iis quos à lenonibus diſtinguere volebant, ita Græcam linguam imitati ſunt vt verbum è verbo exprimerent, certè non εἰσαγωγέας, nec εἰσαγωγείαν (quæ longè aliud ſignificant) ſed προαγωγέας & προαγωγείαν, id eſt productores & productionem, non autem introductores & introductionem dixerunt. Vnde & apud eundē Ciceronem in Verrem legitur, Productorū nulla mentio fiat. In quē locum quod Aſconius annotat, etiam ex hoc loco probatur, nimirū lenones eſſe ſcortorum, productores etiam inuitarum perſonarum. Ea enim potius exemplaria ſequenda videri poſſint in quibus Productores, quàm in quibus Perductores legitur: & quòd προάγειν ſignificet magis proferre & producere quā perducere: ac Productus ita vſurparit quidam poeta: & quòd alias huic affines habeat verbum Producere ſignificationes: at perducere potius cū adiunctione dicatur, vt Perducere dolo atque inſidiis. Sed tamen iocus ex ambiguo in voce Perducto, facit vt putem hæc confundi. Summa igitur ſit, legendum eſſe hìc, *adoleſcentulorum nobilium productiones, aut perductiones.*

Epiſt. XIIII.

Quare, ut opinor φιλοσοφητέον, *id quod tu facis: & iſtos conſulatus non* ἐλαφητέον.

In Manutiana autem editione & nonnullis aliis legitur, *& iſtos conſulatus non floccifacteon.* At mihi non tanta vacuum ſpatium relinquere, quàm tam abſurdam vocē Ciceroni affingere religio fuiſſet. Neque enim verba Latina nobis perſonata exhibere ille ſolet: ac ſi exhiberet, miror an tam agreſtes vſquam reperiri poſſent vt ab his non abhorrerent aures. ſci-

licet enim nos offendit iuriſconſultorum vocabulum Paraphernalia, quòd verbo Græco quandam terminationis Latinæ velut laruam appoſuerint: Ciceronem autem *facteon* pro facere oportet, ad imitationem τῦ ποιητέον, τῦ χαρτέον, vſurpantem non exploderemus? At non diſiungũt *facteon* à nomine *flocci*, inquies, ſed cõiunctim legũt *floccifacteon*. Errorẽ igitur errore cumulãt. nam præterquã quod in Latinã linguã moſtroſum neſcio quod & biformi Cẽtauro ſimile verbũ inuehũt, ei etiam cõtrariã ſignificationis dare naturam volũt. Quid enim eſt Floccifacere? nónne aſpernari? Dicet igitur Cicero, Et iſtos cõſulatus non oportet aſpernari. Atqui contrariũ Ciceronem velle dicere ipſi fatentur. ſed video in quo hallucinentur: exiſtimãt eadem eſſe, Flocci non facere, aut Nõ flocci facere: & cõiunctim, Non floccifacere: quũ hæc ex diametro oppoſitã ſignificationem habeant. Quod verũ eſſe, alio loco apertiſſimè oſtendemus. Nunc, vt quod inſtat agamus, quomodo emendãdus ſit hic locus, videndũ eſt. Nihil habet longè petitum mea coniectura, nec multa immutat. En tu, quicunque eam ſequi voles, ex ἐλαφητέον (quod nihil ſignificat) interiecto *υ*, & mutato φ in β, fac εὐλαβητέον, & vocem habebis bonam ac bene Græcã, atque adeo à Cicerone alibi in ea ipſa ſignificatione quæ huic loco aptiſſima eſt, vſurpatam.

LIBRI II. epiſt III.

Venio nunc ad menſem Ianuarium & ad ὑπόστασιν noſtram ac πολιτείαν.

Aut errauit librarius qui perperã deſcripſerit, aut ipſe Cicero, qui perperam vſurparit ὑπόστασιν pro κατάστασιν. Sed Ciceronem hac ſuſpicione liberat nõ ſolũ exquiſita in ipſo Græcæ linguæ cognitio, ſed alius etiam eius locus vbi κατάστασιν eo ſenſu ſcriptum inuenitur. Reſtat igitur vt peccaſſe librariũ dicamus.

LIBRI IIII. epiſt. I.

Eundémque te qui primis temporibus, erroris noſtri aut totius furoris particeps & falſi rumoris ſocius fuiſſes, acerbiſſimè diſſidium noſtrum tuliſſe.

Non dubito quin legendum ſit *potius* pro *totius*. alioqui copulatiua aptior quàm diſiunctiua particula fuiſſet. Sed & ex alio ipſius Ciceronis loco in hanc coniecturam inducor.

Epiſt. x v.

Quomodo ergo abſolutus? omnino ΠΟΡΠΑΓΥΜΝΑ *accuſatorum incredibilis infantia.*

Si ex ΠΟΡΓΑΠΥΜΝΑ fecerimus ΓΡΟΠΡΥΜΝΑ, pro voce quæ nihil ſignificat, valde ſignificantem & vade emphaticã, atque adeo pro falſa lectione veram, meo quidem iudicio, habebimus. Sed quũ πρόπρυμνα idem valeat quod Omnino (niſi quòd eſt ἐμφατικώτερον) vereor ne quod aliis multis in locis contigiſſe omnes norunt, hîc quoque cõtigerit: nimirum vt quæ pro interpretatione adnotata margini vox erat *omnino*, in cõtextum irrepſerit. Hoc autem aduerbium hac in ſignificatione reperies apud AEſchylum editionis meæ pag. 109.

Ibidem.

Fratrem meum & te ſi habebo, per me iſta pedibus trahuntur.

Aut hîc errorem eſſe, aut alibi apud eundem Ciceronẽ fateamur neceſſe eſt, lib. Epiſt. ad fam. 7. eo videlicet loco vbi legitur, Nam de iudiciis quod quereris, multo laboro minus. trahantur per me pedibus omnes rei. Niſi fortè aliquis inter indicatiuũ & coniunctiuum modũ diſcrimen nullum eſſe exiſtimat. At ego ita ſentio, *Per me iſta pedibus trahuntur*, ſignificare, Ego iſta pedibus traho. *Per me iſta pedibus trahã-*

tur,declarare,Quo minus alii iſta pedibus trahãt,nõ repugno. Siue,Facilè patiar iſta pedibus trahi. Siue, Me non repugnãte iſta pedibus trahi poſſint. Vnde verò tanta ex tam parua mutatione differentia? Hoc ego docebo,quod à nemine adhuc obſeruatum eſt (quod quidem ſcire potuerim) adnotans. Siquis ita loquatur, Per me iſta trahuntur, Per me neceſſe eſt accipiat pro A me: vt & Græcè δι' ἐμοῦ pro ὑπ' ἐμοῦ frequenti in vſu eſſe poſitum videmus. At in iſto loquendi genere,Per me iſta trahantur,eſt ἔλλειψις verbi Licet.plena enim phraſis hæc eſſet,Per me iſta pedib' trahãtur licet. Sic ſæpenumero Plautus, ſic & ipſeCicero:qui etiã elegãter interdũ addit particulã Vel,vt hoc in loco,Per mevel ſtertas licet,inquit Carneades,non modò quieſcas. Hìc autem nequaquam dixerint Græci δι' ἐμοῦ aut ὑπ' ἐμοῦ, ſed ἐμοῦ γε ἕνεκα. qui & illud Vel elegãtiſſimè exprimere ſolent per κἄν,niſi me fallit memoria. Porrò quũ plena ſit oratio,vt docui, ita dicendo, Per me licet, alicubi non vocem Licet, ſed illas duas voculas Per me,ἐλλείπειν in hac ipſa loquendi forma animaduerti. vt apud Tibullum: qua de re etiam in meis in illũ adnotationibus admonui. Aut igitur hìc *trahantur* legendum eſſe fateamur, aut Ciceronem dicere, Ego iſta pedibus traho, exiſtimemus neceſſe eſt. Quod ſi admittimus, non video certè cur non & in illo altero loco *trahuntur* legamus, vt ſit, Ego traho pedibus omnes reos. Quanquam hìc rectè (eo quidem ſenſu) Trahuntur:at illic ſi in Indicatiuo ponendum fuit hoc verbum,certè non in eius præſenti,ſed futuro fuit ponendum,dicendúmque, Trahentur,vt cum Habebo conueniret. Sed nimirum *trahantur* legendum:vt ſit pro,Per me trahantur licet.

Ibidem.

Aut ſi etiam ſapis ac frui tuis commodis cogitas, aduentare & propè adeſſe iam debes.

Si dixero debere hîc ſcribi *abeſſe* non *adeſſe*, habebo cum alios qui pro me faciant locos, tum verò quendam qui eſt in hoc ipſo volumine, lib. I. epiſt. I. vbi ita legitur, Illam manum tu mihi cura vt præſtes, quoniam propius abes, Pōpeii noſtri amici. Habebo & quendam ex Catone maiore, qui eſt huiuſmodi, Equidem nō video cur quid ipſe ſentiam de morte, non audeam dicere. quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea propius abſum. Sed non deerūt aliis viciſſim quos his & ſimilibus opponant, multi, in quibus Propè adeſſe vſurpatū eſt. Quinetiā in iſto quē modò protuli ex Catone maiore, loco, vbi nunc recentiores editiones habent, *Ab ea abſum*, antea legebatur, *Ad eam adſum*. Sequendam tamen non eſſe illic hanc lectionem, ſed illam, (quæ etiam veterum exemplarium authoritate confirmatur) nemo niſi planè iudicii expers, negauerit. At de aliis locis quod dicam nō habeo: quare doctioribus diiudicandam hanc controuerſiam relinquo.

LIBRI V Epiſt. XIX.

Mihi tuas literas reddidit: ex quibus nō dubito quin ut Pompeium expectaris, dum Arimino rediret, etiam in Epirum profectus ſis.

☞ Ita legitur cum in aliis editionibus, tum in Manutiana, & in ea quæ nouiſſimè in lucem prodiit: at mallim ex *ut*, permutato literarum ordine, facere *tu*, & *etiam* in duas partes diuidens, ſcribere *& iam*. Niſi fortè retinendo *ut* atque *etiam*, legendum ſit *expectares*. ſed hæc lectio præ illa mihi non placet.

Epiſt. X X.

Saturnalibus mane ſe mihi Pindentiſſæ dediderunt.

Si rectè appellatur ciuitas Pindeniſſum, cur ciues, addita litera *t*, *Pindentiſſæ* vocabũtur? Sed & hæc terminatio mihi ſuſpecta eſt.

Ibidem.

Rumore aduentus noſtri, & Caſſio, qui Antiochia tenebatur, animus acceſſit, & Parthis timor iniectus eſt.

Hæc verba, *qui Antiochia tenebatur*, conferenda ſunt cum iis quæ habentur epiſtola 18, Caſſius in oppido Antiochiæ cum omni exercitu. & videndum quid potiſſimum in locum illius *qui* ſubſtitui debeat: an *cui*, an, quod malim, *à quo*. Crediderim enim ego Ciceronem dixiſſe potius Caſſium illam ciuitatẽ tenere (vt alibi dixit, Imperator tenebat prouinciam) quàm ab illa ciuitate teneri.

Aut quo me pacto geram: dimitt âmne me penitus in cauſam.

Etſi legitur *dimittam* in Manutiana etiã editione, tamen aut proprietatis linguæ Latinæ planè rudis & imperitus ſum, aut legendum eſt *demittam*.

LIBRI VIII Epiſt. I I.

Aut locupletior mihi ſit quærendus author quàm Socrates: qui quum triginta tyranni eſſent, pedem porta non extulit.

Puto ſcripſiſſe Ciceronẽ, *tyranni Athenis eſſent*, aut *tyranni in ciuitate eſſent*. Nam alioqui nimis generaliter dictum hoc fuerit: nec huiuſmodi ſubaudienda relinquere ſolet hic author. Fortaſſe etiã ſuſpicetur aliquis ſcriptum ab illo fuiſſe, *cui quum*, *&c*.

LIBRI IX Epiſt. I I I.

τὸ δ᾽ ἀλαζονικὸν τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς ἄρηται.

Ita legitur cum in aliis editionibus, tum in Manutiana, & ea quæ nuper exiit: at in quibuſdam habetur, μὴ αὐτός τι πάθῃ. quæ lectio an conſentanea ſit

ſententiæ Ciceronis, quærendum eſt: rationi certè grammatices conſentaneam eſſe nequaquã poſſe pro certo habeo. Reſpondeant enim mihi qui ἀρθῆται repoſuerunt, apud quem grammaticum inuenerint τύφθηται. Qui verò hæc verba ita interpretati ſunt, Vtrum cauendum tyrannidem deſtruenti, ne ipſe de medio tollatur, bifariam errauerunt, & quòd ἀρθῆται (quod nihilo magis verbum quàm nomen eſſe poteſt) tertiã ſing. coniunctiui perſonã eſſe putauerunt: & quòd non tanquam legeretur τὸν καταλύοντα, ſed τῷ καταλύοντι, interpretati ſunt, Cauendũ tyrannidem deſtruẽti. Ita enim legẽdus eſſet hic locus, vt ex eo efficeretur illa quã ipſi imaginati ſũt ſententia, Εἰ ἀλαβητέον τῷ καταλύοντι, μὴ αὐτὸς ἀρθῇ. Sed alteram lectionem ſequendo, μὴ αὐτός τι πάθῃ, omnino neceſſe fuerit legere τῷ καταλύοντι. quum nõ poſſit alius ex ea quàm hic elici ſenſus, An metuendum ſit ei qui tyrannidem deſtruit, ne ipſe in malũ aliquod incidat. vel, vt Comicus loquitur, ne inde malũ aliquod nãciſcatur. vel, vt dicũt etiã Latini, Ne ea res illi ſit fraudi. At ego malo retinere accuſatiuũ, & eum interpretari itidẽ per accuſatiuum: ſed longè aliam ſequens ſentẽtiam, ac verbo αἴρεσθαι (à quo deductum ἀρθῆ reponi debet) planè diuerſam, nec minus tamen vſitatam tribuens ſignificationem. vt hæc ſit θέσις, An timere ab eo oporteat qui deſtruit tyrannidẽ, ne ipſe euehatur. id eſt, ne potens euadat, ne ipſe ſibi potentiam acquirat. Non igitur verto, An timendum ſit illi qui &c. ſed, An aliis timendum ſit ab eo. Non eſſe autem propoſitã hîc quæſtionem de re parui momenti, aut quæ noua videri potuerit, docere poterant tot Græcæ præſertim hiſtoriæ, quibus narrantur multi tyrannorum interfectores, λόγῳ μὲν libertatis publicæ rationem habuiſſe, ἔργῳ δὲ,

ambitione ſola & regnandi ſtudio ad facinora illa impulſi fuiſſe: quum ipſi videlicet eorum quos occi derant locum occuparent:adeò vt ciuitates tyrannidem non tolli ſed mutari, & quidem plerunque in deterius,quererentur. At ſi alteram lectionem ſequeremur, faciẽtes etiam ex accuſatiuo datiuum,quorſum cæteris quæſtionibus quæ ſunt de rebus quæ ad vtilitatem & conſeruationem totius corporis ciuitatis ſpectant, admiſcuiſſe hanc Ciceronem diceremus, quæ omnino publicæ vtilitati repugnat? Quis enim eum qui velit facinus tale aggredi, dubitationem aliquam ſibi proponere, vel potius ipſum ſibi metum obiicere, quo ab illo deterreri poſſit, patiatur? Si tamen dubitatio de periculo certiſſimo vlla eſſe debet. vbi enim maius παρακινδύνευμα quàm hac in re eſſe poteſt? & quis vnquam niſi planè ῥιψοκίνδυνος de ea vel cogitare auſit? Ac vt vnum ex quamplurimis exemplum proferam, quid ait Chion ſuum illum occiſurus tyrannum? οἶδα μὲν οὖν ὡς ἀναιρεθήσομαι· πλειώσαι δὲ μόνον τυραννοκτονίαν, τοῦ τι παθεῖν εὔχομαι. Scio, inquit, fore vt tollar è medio: verùm perpetrata tyranni cæde, tum verò alacri animo pergam ad mortem. At φιλόψυχος aliquis & qui φοβεῖται μή τι πάθῃ (quæ tria verba dixi in nonnullis codicibus reperiri) de tyrannoctonia nunquã ne cogitare quidem, vti dixi, audebit.

Ibidem.

Εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι εἰρήνῃ μᾶλλον ἢ πολέμῳ.

Quum initio putarem hîc leue mendũ eſſe cum in aliis editionibus, tum in Manutiana, & duntaxat deſiderari præpoſitionem ἐν ante εἰρήνῃ, quæ ante πολέμῳ etiam repeteretur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, aut certè poneretur etiam illic: quòd vt Latini Pace, ſine præpoſi-

tione,pro Tempore pacis,dicunt(vt,Pace bidens vo mérque vigent)ita etiam Græci, ſi bene memini, ſine præpoſitione non dicant εἰρήνῃ, ſed ea præfixa, ἐν εἰρήνῃ.multo minus πολέμῳ.& ſiquis reperiatur locus vbi omiſſa ea ſit,librarii errore id accidiſſe vel iurare auſim . Quũ inquã initio aliud nihil de hoc loco ſuſpicarer,cœpi poſtea mecũ cogitare, quid ſi addita præpoſitione non ſit opus , nec Tempore pacis & belli ſignificare velit Cicero, ſed διὰ τῆς εἰρήνης & διὰ τοῦ πολέμου,id eſt διὰ τῶν εἰρηνικῶν & διὰ τῶν πολεμικῶν ἔργων.Verùm neſcio quomodo explicatio hæc mihi ſtatim diſplicuit , & locus maioris alicuius erroris quàm antea, ſuſpectus eſſe cœpit.Ita enim apud me ratiocinabar.Si generale harum omnium θέσεων argumentum eſt de boni ciuis erga ſuam patriam τυραννουμένην officio, ἀπροσδιόνυσον eſt iſtud,An ferendum ſit auxilium patriæ, pacis potius quàm belli tempore . Quòd ſi etiam tractaretur hîc quæſtio hæc,quidnam haberet rationis?Perinde eſt enim dubitationem proponere, Vtrum patriæ opem ferre oporteat tempore pacis potius quàm belli : ac de amico, Vtrum ei tantiſper dũ valet, potius quàm quum ægrotat,adeſſe debeamus.Tandem verò dũ vt mentem,ita etiam oculos in omnem partem verſo, præcedere video , ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ, video ſequi τῆς πατρίδος τυραννουμένης, & χώραν τυραννουμένην.cõtinuò igitur mihi in mentem venit ſuſpicari legendum & hîc eſſe τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ. ac ſententia quidem quin optima eſſet , & quin pulcherrima & philoſophica diſputatione digniſſima foret theſis, non dubitabam:ſed ne paulo audacior mea videretur in hac caſtigatione coniectura,metuebam. deinde paruus quidam ſcrupulus iniiciebatur , cur non dixiſſet potius Cicero, τυραννουμένῃ μᾶλλον ἢ πολεμου-

μένη. Ecce verò commodùm aliquot pòſt diebus, forte fortuna (quum de hoc loco amplius non cogitarem) in vetuſtam quandam editionem alioqui mendoſiſſimam, ſed hîc, meo quidem certè iudicio, reliquis omnibus emendatiorem, incido. ita enim in ea legebatur, τυραννουμένη καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. Quam lectionem, abſque illo primo datiuo fuiſſet, vt coniecturam meam planè comprobantem, lætus, non ſecus ac ἕρμαιον quoddam, arripuiſſem: ſed me datiuus ille καιρῷ pleno gaudio frui non ſinebat. Primùm igitur, illo excluſo, quàm bellè procedant omnia, videamus: deinde quomodo ipſe admitti, aut quid in eius locum recipi poſſit, viderimus. Quid igitur erat de quo gloriabatur ipſemet Cicero, hoc carmen pronuntians? Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Nimirum ὅτι αὐτὸς ἀρήγει τῇ πατρίδι λόγῳ μᾶλλον ἢ ἕτεροι πολέμῳ. Deinde verò quum ille dux Græciæ nunquam optat vt Aiacis ſimiles decẽ habeat, at vt Neſtoris: quod ſi acciderit, non dubitat quin breui Troia ſit peritura: Quum, inquam, hoc ille optat, nónne ſuo voto planè tanquam præiudicium affert ei quod hic Cicero in diſceptationem adducit? nimirum vtrũ conandũ ſit potius ſaluberrimis cõſiliis quàm armis iuuare oppreſſam tyrannide ciuitatem? Ita enim accipio λόγῳ, non ſimpliciter pro verbis, ſed pro verbis iis quibus optimum aliquod exponitur conſilium. Et ita quidẽ, ſi eiiciamus datiuũ καιρῷ. at ſi eum retineamus, quid nobis ſignificabit? Scio καιρὸν frequentiſſimè accipi pro occaſione rei alicuius gerendæ, & ipſo articulo ac momento agendæ cuipiam rei idoneo. Oſtendunt autẽ hiſtoriæ, quod & quotidiana experientia comprobat, puncto temporis maximarũ rerum momenta ſæpe verti. quid ſi ergo Ciceronem

huc reſpexiſſe dicamus, vt quis tanquam è ſpecula, rerum occaſiones venientes contempletur, & de iis admoneat, ſimúlque cõſilio ſuo ad hoc agendũ hortetur & impellat, ab illo agendo dehortetur: vt καιρῷ quaſi pro obſeruatione occaſionum & momentorum accipiatur? Hæc certè huius datiui interpretatio violẽtior eſt quàm vt mihi placere poſſit. Significat verò καιρὸς etiam commodum & vtilitatem, vt in meis in AEſchylum obſeruationibus dixi. at ne hæc quidem ad hunc locum pertinere poteſt ſignificatio. Sed gratia magna AEſchylo ſit tamen, ex cuius verbis, quæ mihi nũc ſuccurrunt, in caſtigatione huius loci planè me tibi, lector, ſatiſfacturũ confido. Sic enim orditur ille ſuam tragœdiam ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας inſcriptam,

Κάδμου πολῖται, χρὴ λέγειν τὰ καίρια
Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως
Οἴακα νωμῶν.

Sed & alibi vtitur hoc genere dicendi, λέγειν τὰ καίρια. vtitur verò poſt eum & Euripides. quidni igitur quum vtrobique, id eſt & apud AEſchylum & apud Ciceronẽ de boni ciuis erga ſuam patriam officio (hîc tyrannide, illic bello oppreſſam) agatur, vtrique loco eadem etiam verba accommodemus? præſertim quum id parua fieri cum mutatione poſſit? Nam ex verbo λέγειν iam factum reperies verbale nomen λόγῳ: quum verò non poſſis καίρια quod iungebatur cum verbo λέγειν, cum datiuo λόγῳ aptare, ex καιρῷ καὶ fac καιρίῳ, & grauiſſimam atque elegantiſſimam quæſtionem elegantiſſimis verbis expreſſam habebis: vt omnino ita vſurpetur à Ciceronẽ καιρίῳ λόγῳ, vt AEſchylus & Euripides καίρια λέγειν vſurparunt. Sed quorſum (dices) vſus fuerit Cicero voce καιρίῳ, apud illos quidẽ poetas vſitatiſſima, ſed apud oratores non item in vſu poſita? At ego ita

poeticam eſſe hanc vocem nego, vt nõ etiam interdum apud oratores reperiatur. quemadmodum verbum ἀρήγειν eſt ποιητικώτερον, & quo idem AEſchylus ſtatim pòſt eadem in re vtitur: ſed tamen huiuſmodi quod etiam ipſe Xenophon vſurpet. quanquã quid de eo & Iulius Pollux dicat, & alii ante eum dixerint, non ignoro: verùm talia nec ego moror, nec ipſe etiam (vt opinor) morabatur Cicero. Vt ergo tandem finem faciam, totum huric locum ita legendum eſſe perſuaſum habeo: an etiam tibi perſuadebo, lector, hoc verò neſcio: ἀρήγειν τῇ πατρίδι καιρίῳ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. Id eſt, καιρίοις λόγοις μᾶλλον ἢ πολεμικοῖς ἔργοις. vel, τὰ καίρια καὶ τὰ δέοντα συμβουλεύοντα, μᾶλλον ἢ αὐτῆς προπολεμοῦντα. Quòd ſi & aliã præterea, quaſi ex abundãti, habere vis coniecturam, eam accipe. Scis enim animum, dum in dubio eſt, paulo momento huc illuc impelli. Antequam igitur in memoriam illius AEſchylei verſus rediiſſem, ſuſpicabar legendum eſſe πόρῳ καὶ λόγῳ. accipiẽdo videlicet πόρον per metaphoram, cui occaſionẽ dat etiam idem tragicus illo verſu, Δεινὸς γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρον. quem quidem & Ariſtophanes imitatus dixit, Κἀκ τῶν ἀμηχάνων πόρους εὐμηχάνους πορίζων. Verùm, vt ingenuè fatear, mihi ſordere cœpit hæc coniectura, vt alteram reperi: & tibi quoque, ni fallor, ſordebit. Ac de hoc loco hactenus. Sed ne illud quidem, etſi non magni momenti, prætermittã: in prima videlicet ſententia malle me legere πραγματευτέον, vt in ſuperioribus editionibus legitur, quã πειρατέον. potius enim πειρατέον infinitiuo iungitur vt paulo pòſt τοῦ ἀρήγειν.

LIBRI X. Epiſt. I.

Trebatij boni uiri & ciuis uerbis te gaudeo delectatum, tuâque iſta crebra ἐκφώνησις ὑπερφέρει me ſola adhuc delectauit.

Miror neminem adhuc deprehēdiſſe legi hîc debere ὑπάρξαι non ὑπάρξει, vt hic: multo minus verò ὑπάρχει, vt in quibuſdam editionibus: ſed nec τέρπει, vt in antiquioribus.

LIBRI XII Epiſt. IIII.

Ποῖ ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ἀποσκήψῃ: ſed ipſe uiderit.

Ita legitur cum in aliis editionibus, tum etiam in Manutiana: & in ea, vt in aliis omnib9, illa Græca verba explicátur his Latinis, Quonam hæc modo excuſabis? Atqui nō ἀποσκήψῃ legēdum eſt, ſed ἀποσκήψει. & vt illa non hæc lectio reciperetur, alia quærenda interpretatio eſſet. quis enim vnquā idoneus author ἀποσκήπτεσθαι pro Excuſare vſurpauit? Fac tamen in ea ſignificatione poſitum reperiri: quorſum iſtud hîc diceretur? Lege igitur ἀποσκήψει, vti dixi, cū minima quidem literarum, ſed cum maxima ſententiæ mutatione. Nihil enim aliud hîc dicit Græcè quàm quod antea Latinè dixit, Hæc quò ſint eruptura timeo.

Epiſt. XIII.

De Bruti ad me literis ſcripſi ad te antea. prudenter ſcriptæ: ſed nihil quod me adiuuarent.

Sic in Manutiana editione, & in ea quæ nuper exiit. malim tamen aut *quo me adiuuarent*, aut *quod me adiuuaret.*

Epiſt. XXIII.

Vnd me cauſa mouet, in qua ſcio me τετυφῶσθαι. ſed, ut facis, obſequere huic errori meo.

Si rectè legitur hîc τετυφῶσθαι, vereor ne malè legatur *errori*: ſin caret ſuſpicione hic datiuus, ſuſpectus mihi ille infinitiuus: & meritò, mea quidem ſententia. Nam quum τετυφωμένος dicatur is qui furit, mihi non ſit veriſimile Ciceronem poſt furorem, poſuiſſe

errorem, id eſt, vocem minus ſignificantē voci magis ſignificanti atque adeo ſignificantiſſimæ ſubiunxiſſe. quum potius aſcendere (vt vulgò loquũtur) debeat oratio. Quod præceptum & ipſe M. tullius in his ipſis nominibus vſurpandis obſeruauit, quum dixit libri 4 epiſt. 1, Erroris noſtri aut potius furoris particeps fuiſſes. Sic enim lego, non totius. Quamobrē hîc quoque ſi non ſignificantiori, at certe non minus ſignificanti vſum eſſe Latino vocabulo puto quàm Græco vſus fuerat: adeo vt legere *furori* ei quidem qui τετυφῶσθαι retinere velit, eſſe neceſſe affirmare audeā. At ei per quē ex τετυφῶσθαι addita vnica litera τετυφλῶσθαι facere mihi licuerit, viciſſim vt datiuum *errori* ſeruet lubentiſſimè concedam: ac, *in qua ſcio me τετυφλῶσθαι*, ſignificare dicam, In qua ſcio me cæcum fuiſſe. vt lib. 11. epiſt. vltima, In penſione ſecũda cæci fuimus. Quo etiā modo elegātiſſimè vſurpatur Parũ videre. Denique hîc verbo τετυφλῶσθαι ita vſum Ciceronem, vt antea lib. 2. epiſt. 19 vſus eſt verbo τυφλώττω, omnino mihi perſuadeo.

LIBRI XIII Epiſt. XLVIII.

Miror te nihil dũ cum Tigellio, uelut hoc ipſum quantum acceperit prorſus aueo ſcire, nec tamen floccifacio.

Dixi antea, in eo loco vbi legitur, Et iſtos conſulatus non floccifacteon, etiamſi admitteretur peregrina illa terminatio, ita tamē eſſe admittendam nõ vt in compoſitò verbo, ſed vt in ſimplici. Quoniam igitur qui eam lectionem tueri voluerunt, aſperitatem illā terminationis in cõpoſitione tolerabiliorē viſum iri putauerunt: ipſos & illic ſi *floccifacteon* & hîc ſi *floccifacio* legant, compoſito verbo, contrarium illi quem intelligunt, ſenſum ex verbis efficere, non inutile fuerit oſtendere. Dico igitur, *Nec tamē*

floccifacio coniunćto nomine cum verbo, ſignificare, Nec tamē cōtemno: at ſi ſeparatis illis legas *Nec tamē flocci facio*, ſignificare, Et tamen contemno. Vndenā iſtud fit? hinc nimirum quòd illic negatio ad verbū compoſitum Floccifacio tēdit: hic autem non ad Facio, quod ſimplex manet: ſed ad genitiuum Flocci. diſſoluta igitur particula Nec in Et non, dic, Et tamen facio non flocci, id eſt, ne flocci quidem. Non parùi refert ergo ſiue coniunćtim Floccifacio dicas, ſiue ſeparatim Flocci facio: quū illud ſine negatiōne idē valeat quod hoc cum negatione. nā Te floccifacio, &, Te nō flocci facio, aut Te flocci nō facio, ſignificant, itidem Te contemno Te floccifacio, id eſt Te contemno, vt quem faciam tanti quanti facio floccum. Te non flocci facio, aut Te flocci nō facio, id eſt Te contemno, vt quem faciam ne tanti quidē quanti facio floccum. Itaque maiorem quendā contemptum indicat hæc quàm illa locutio. Magni autem intereſſe in eadē oratione húcne an illuc referatur particula negatiua, oſtendit ille apud Athenæū à Cimætha ex ambiguo captatus iocus. quum enim Chærephontem menſarū aſſeclam, & qui inuocatus ſemper ventitabat ad conuiuia, ὑπερήφανον, id eſt ſuperbū, vocauiſſet: tunc Chærephon, Egóne, inquit, ſuperbus? Cui illa, Imò verò quis te magis, ὃς οὐδὲ καλούμενος ἔρχῃ; Sed vt ad rē reuertamur, ſi quidem putemus Ciceronem velle dicere ſe illud nō contemnere & non pro nihilo ducere, rećte legitur vno verbo floccifacio. Sin exiſtimemus (vt certe exiſtimare debemus) dicere velle ſe illud cōtemnere, ſeparatim legendum fuerit flocci facio. Et in illo altero loco eadem ratione flocci faćteon diſiunćtim: adeo vt ad molliendam huius terminationis aſperitatem ſeu potius barbariem ne compoſitio quidem, quæ

nulla eſſe nec debet nec poteſt, iuuare quicquã poſ-ſit. LIBRI XIIII Epiſt. XIII.

Quam ob cauſam uereor ne abſentia mea leuior ſit apud te.

Puto deſiderari negatiuam particulam ante verbum *uereor*, vt legatur, *non uereor ne, &c.* Nam ſi eũ ſuæ occupationes excuſare debebant apud Ciceronem, quòd non coram hac de re egiſſet cum eo: quare vereatur ne abſentia ſua leuior ſit apud eum? Deinde quam ſibi Ciceronis bonitatem promittit, ſi id veretur? Vt igitur cum præcedentibus & ſequentibus hæc ſententia cohæreat, addo *non*.

LIBRI XV Epiſt. I.

Sed ſi recordabere Δημοσθένους *fulmina, tum intelliges poſſe &* ἀττικώτατα *grauiſſimè dici.*

Malim traiecta copula legere, *poſſe* ἀττικώτατα *& grauiſſime dici*. Niſi quis vtrobique debere eſſe illam putet. hoc modo, Poſſe & maximè Atticè & grauiſſimè dici.

Epiſt. III.

Erit igitur nobis coram odorandum & conſtituendũ tutóne Romæ eſſe poſſimus.

Mihi magis placeret *clam odorandum*. Nec tamen particula *coram* ex ſe, ſed cum voce *odorandum* iuncta, diſplicet. Non diſplicet, inquam, ex ſe: quia ambo in Tuſculanũ conuenturi erant. vnde & paulo pòſt, De patre coram agemus.

Ibidem.

Et mehercule ipſius literæ ſic & φιλοστόργως *&* πινῶς *ſcriptæ, ut eas uel in acroaſi audeam legere.*

Ita legitur in editione Manutiana: at in aliis, vt etiam in ea quæ nuperrime exiit, legitur πυκνῶς. Et huius quidem aduerbii πυκνῶς ſignificationem ab hoc

loco planè eſſe alienam quis non videt? at πινῶς formam quidem aduerbii & ipſum præ ſe fert, ſed neque aduerbium tamen neque vlla alia pars orationis apud Græcos eſſe, imò ne ſignificare quidem quicquam poteſt. Et qui à πῖνος nomine aduerbium hoc formauit, linguæ Græcæ valde rudis fuit: quippe qui putarit vt à σοφὸς & καλὸς fiunt aduerbia σοφῶς & καλῶς, ita etiam à πῖνος aduerbium deduci poſſe πινῶς. quum longè alia ſit ratio. Neque igitur πινῶς neque πυκνῶς legendū eſt, ſed εὐπινῶς. atque hoc idē valebit quod πεπινωμένως, quo proxime præcedente vſus eſt epiſtola: dicens, Tandem à Cicerone tabellarius, & mehercule literæ πεπινωμένως ſcriptæ. quod ipſū προκοπὴν aliquam ſignificaret. Sed & participiū vnde formatum hoc aduerbium fuit, & nomen vnde prius fuerat factum verbum, à quo hoc ipſum participiū, alibi vſurpat, de eodem eadem ſcribens, epiſtola videlicet 8 libri 14. eius hæc verba ſunt, A Cicerone mihi literæ ſanè πεπινωμέναι & bene longæ. cætera autem vel fingi poſſunt: πῖνος literarum ſignificat doctiorē. Miror verò cur quum antea in his duobus poſterioribus locis πεπυκνωμένως & πεπυκνωμέναι legeretur, in illis ipſis editionibus in quibus recte repoſitum fuit πεπινωμένως & πεπινωμέναι, ſeruatum fuerit in primo illo loco πυκνῶς. Sed quoniam quid πῖνος ſignificaret, mihi adhuc non ſatis intellexiſſe, ideóque ne horum quidem omnium quæ ab illo originem habuerunt, ſignificationem aſſequutus videtur eſſe quiſquam, hoc quaſi παρέργως & ex abundāti docere, vel potius Dionyſii Halicarnaſſei hoc docentem locum proferre ex non multum peruulgato & non ita pridem à me in lucem edito opuſculo libet. Eſt autem eius ad Cn. Pompeiū epiſtola, in qua de Platonis dictione verba faciens, inter cætera hæc ait, τὴν

τὴν κοινότητα διώκει τῶν ὀνομάτων, καὶ τὴν σαφήνειαν ἀσκεῖ, πάσης ὑπεριδοῦσα κατασκευῆς ἐπιθέτου· ὅ, τε πῖνος αὐτῇ καὶ χνοῦς ὁ τῆς ἀρχαιότητος ἠρέμα καὶ λεληθότως ἐπιτρέχει, χλοερόν τέ τι καὶ τεθηλὸς καὶ μεστὸν ὥρας ἄνθος ἀναδίδωσι. καὶ ὥσπερ,&c. Hinc igitur πῖνον nequaquam pro vrbanitate accipi (vt quidam crediderunt, illo Ciceronis loco decepti, vbi coniungit εὔπινες & vrbanum) ſed nec elegantiam ſimpliciter & nudè ſignificare, manifeſtiſſimum eſſe arbitror. Quæ eſt igitur huius vocis ſignificatio? Huiuſmodi certè quæ Latino vno verbo exprimi non poſſit. declarat enim ornatum quendam ſimplicem & inaffectatum, ſeu mauis, ornatum quendam natiuum, non aſcititium, denique qui non tam artificialis, vt ita dicam, quàm naturalis videatur. Dicit igitur Cicero πῖνον literarũ filii ſui iudicare illum factum eſſe doctiorem: quòd hunc πῖνον non tam ex certis quibuſdam ſcholæ præceptis quàm ex accurata obſeruatione, eáque cum intelligenti iudicio (quale ſine doctrina haberi non poteſt) cõparari poſſe ſciret. πῖνον deniq; aliud ſonare quàm elegantiam, vel iſtud argumento eſt quòd πῖνον habere Thucydidis, Xenophontis, Demoſthenis, Platonis, Iſocratis orationem dicere poſſimus: at Luciani ſermoni (licet alioqui venuſtiſſimus & elegantiſſimus ſit) πῖνον tribuere nemo poſſit. ideóque inter illam quæ generali nomine elegantia ſermonis vocatur & eam quæ peculiari appellatione πῖνος dicitur, eandem planè quæ inter Atticos & Atticiſtas eſt, differentiam eſſe arbitror. Sed & ex alio Dionyſii loco in eo libro in quo de idiomate Demoſthenis tractat (qui liber nondum excuſus eſt) apertius etiam hanc eſſe huius vocabuli ſignificationem colligo. Eum autem adſcriberem, niſi paulo eſſet longior: adeo vt integram fere paginam, vt iudicare lector poſſet, de-

ſcribere neceſſe haberem. Aliud igitur de hac voce non addam, quàm hoc, eum qui vnde petita ſit metaphora (falluntur enim qui propriã eſſe hanc putãt huic verbo ſignificationem) diligenter conſiderauerit, meæ facilè ſuffragaturum eſſe ſententiæ.

Epiſt. x i x.

Sicuti enim φιλοςόργως ille quidem, ſed tumultuoſius ad me etiam illam ſuſpicionem pertulit. Quid tu autem, τὰ μὲν διδόμενα?

Mirum eſt, tot tantiſque viris tantum exhibuiſſe negotii hunc locum: & ſine fructu id quidem, quũ ſenſum elicere ex eo nullum potuerint. Ego certè, vt ingenuè fatear, illis auſcultãs, magnam quandam huius loci obſcuritatem mihi fingebam: & plus apud me præiudicata opinio quàm ratio ipſa valebat. ſed tandẽ quũ ab illorum quantumuis doctorũ iudicio nõ ita mihi pendendũ eſſe exiſtimaſſem, quin meo etiã aliquid interim tribuerẽ, qua via afferri tantæ obſcuritati aliquid lucis poſſet, excogitaſſe mihi viſus ſum. Primùm igitur quum Platonis locum olim obſeruaſſem in Gorgia iſtum, κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον, τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ, adnotaſſem verò & iſta Ciceronis verba in prima epiſtola libri 1. epiſt. ad familiares, Quod dat, accipimus: locum hunc de quo nunc agitur, cum duobus illis conferre cœpi: & an reliqui ante me idem feciſſent, ſcire volui. Tandem igitur ab Eraſmo loci quidem illius Platonici factam eſſe mentionẽ cõperi, ſed de hoc Ciceronis in prima primi libri epiſtola loco οὐδὲ γρῦ. At iſte fuit qui me ad diſcutiẽdas tenebras vel maximè adiuuit. ſi tamen diſcuſſæ illæ mea coniectura videri poſſunt: quæ talis eſt: interrogationis notam quæ eſt poſt participiũ διδόμενα, ponendam eſſe poſt *autem*, & pro μὲν legendũ eſſe μοι.

Nec aliud quicquam immuto. Quod autem ſubaudiendum eſt verbũ, ex illo loco Platonis peto,ſed id in indicatiuo pono, δέχομαι ex δέχεσθαι faciẽs. perinde ac ſi diceret Cicero, Quæris ex me fortaſſis, Attice, quid faciam,quum ea mihi non ſatiſfaciant quæ ille pertulit, vtpote tumultuoſe perlata. Ego certè quæ ille dat accipio : præſertim quum ne vnum quidem verbum à Siregio. Id eſt, Quum videam me ex nullis aliis rem hãc intelligere poſſe literis, & ne ipſum quidem ad me quicquam ea de re ſcribere Siregiũ, quæ mihi dãtur à Sicca, boni conſulo. Quis ex vllo loco aptior quàm hic ex iſto elici poſſit ſenſus, non video. Quid ſi durum ſibi videri quis dicat, vt Cicero illis ſe ab Attico cõpellari fingat verbis? Ego etſi ex aliis multis locis nouũ hoc atque inſolẽs nõ eſſe, oſtendere poſſum: illi tamen optionem dabo, vtrum malit hæc eſſe Attici ad Ciceronẽ verba, an ipſius Ciceronis: ſed ita vt pro *tu* legatur *tum*. Ad me quidem certe quod attinet, illud quàm hoc lõge malim. Nec verò quod ex μὲν facio μοι, ſuſpectum vlli eſſe debet, quum paſſim hæc mẽda obuia ſint, poſiti μὲν pro μοι aut μὴ, & viciſſim μοι & μὴ pro μὲν. Quinetiam ego legiſſe me certo ſcio hæc ipſa verba itidẽ prouerbialiter prolata, τά μοι διδόμενα δέχομαι in aliquo ſcriptore Græco, ſed cuius nomen neſcio ποῖ ταῖς ἐμαῖς φρεσὶς ἐγκατέθηκα. Et hæc quidem hactenus: de quibus tuum eſto, lector, iudicium: quum non ex tripode aliquo, ſed ex coniectura duntaxat proferantur. Si tamen veriſimiliora his non reperies, tuquoque (vt legendum puto lib. 6, epiſt. 5) τά σοι διδόμενα δέχου.

Epiſt. x x i.

Eſt illud quidem ἐργῶδες, *ſed* ἀνεκτόν, *mihique gratiſſimum.*

Non placet ἀνεκτόν; quia mihi non ſit veriſimile

ita locutum eſſe Ciceronem, Illud eſt difficile, ſed tolerabile. Nec quiſquam eſt qui non iudicet magis conſentaneum eſſe ita loqui, Eſt illud quidem difficile factu, ſed quod fieri tamen poſſit. id eſt ἐργῶδες, ſed ἄνυστον. Suſpicor autem inter *acceptum* & hæc *Eſt illud,&c.* deſſe aliqua verba. adeo vt quum pro *αἴεκτον* repoſueris ἄνυστον, locũ hunc vno tantùm verbo tenus emendatum habiturus ſis. Saltem ante *Eſt illud* πλείαν στιγμὴν collocandam eſſe crediderim.

LIBRI XVI Epiſt. VIII.

Quid multa? ille urget. ego autem σκέπτομαι.

Ita legitur non ſolùm in Manutiana, ſed & in aliis omnibus quæ quidem in manus meas peruenerunt editionibus: & exponitur σκέπτομαι cõſidero. Sed quis non mihi aſſentiatur, reponenti vt antea σκήψεις pro σκέψεις, ita etiam hîc σκήπτομαι pro σκέπτομαι? vt ſit ſenſus, Ille vrget: at ego tergiuerſor: & proximè ſequentibus verbis, Non confido ætati: ignoro, &c. tergiuerſationis cauſas enumeret. Cæterũ vt antea docui Ciceronẽ Græca σκήψεις καὶ ἀναβολὰς, & Latina Moram & tergiuerſationem, Cunctari & tergiuerſari, itidem copulaſſe: ita nunc proferam locum in quo Vrgere & Tergiuerſari eodem modo quo hîc Vrgere & σκήπτεσθαι, inter ſe opponit. Is eſt in oratione pro Cn. Plãcio, vbi hæc ſunt verba, Quid taces? quid diſſimulas? quid tergiuerſaris? etiam atque etiam inſto atque vrgeo: inſector, poſco, atque adeo flagito crimen. Mirũ autem mihi non videtur quòd & antea σκέψεις pro σκήψεις, & nunc σκέπτομαι pro σκήπτομαι perperam poſitum ſit: quippe qui in Græcorum authorum editionibus vulgatis hunc errorem non ſemel obſeruauerim. Vnicus tamen in præſentia mihi ſuccurrit Strabonis locus, eo modo deprauatus. is eſt libro 16, vbi ita etiã in editione Aldina legitur, (loquitur autem

de

de Alexandro) σκέψασθαι μὲν οὖν αἰτίαν τοῦ πολέμου φασὶν, ἐπειδὴ μόνοι τῶν ἁπάντων οὐ πρεσβεύσαιντο οἱ Ἄραβες ὡς αὐτὸν· τὸ δ᾽ ἀληθὲς, ὀρεγόμενον πάντων εἶναι κύριον. Atqui legendum eſt σκήψασθαι, vt apparet ex illis quæ addit uerbis, τὸ δ᾽ ἀληθές. Vbi tamen non interpretãdum fuerit Tergiuerſari (vt in iſto Ciceronis loco, in quo abſolutè ponitur):ſed Prætextum quærere. vt Latinè exprimendus ita ſit horũ verborum ſenſus, Bello quidem ſuo hoc prætexuiſſe, quòd diceret illos non, &c. vel Prætextũ hunc gerẽdi belli quæſiuiſſe, quòd &c. Cicero diceret potius, Captatam hãc ab illo fuiſſe belli occaſionem. vel, Cauſam hanc inferendi belli quæſiuiſſe. vel, Per cauſam hanc bellum illis intuliſſe. Nec minus eleganter, imò etiam elegantius hoc genere loquendi à Strabone exprimi ſententia eadem potuiſſet, πόλεμον μὲν οὖν ἐπενεγκεῖν, λόγῳ μὲν ἐπειδὴ μόνοι, &c. ἔργῳ δὲ, ὀρεγόμενον, &c. Ex quibus, vt apud Ciceronem σκέπτομαι pro σκήπτομαι, ita etiam σκέψασθαι pro σκήψασθαι in iſto Strabonis loco perperam poſitum eſſe apparet. Sed & hoc ex abundanti addam, reponendum eſſe in eo φησὶν pro φασὶν.

Epiſt. x I I I.

Ex quo mihi uidetur στρατηλάξ *ille deiectus de gradu. ſed &c.*

Quid hoc eſt obſecro στρατηλάξ? an indeclinabile nomen? nam certè ſi declinatur, duram caſuum inflexionem habet, & valde κακόφωνον. Imò verò quærendum prius eſt an ſit Græcum. At ſi στρατηλάτης legatur, de hac voce quæſtiones has moueri neceſſe non fuerit.

CASTIGATIONES in alios Ciceronis locos, ex vetuſtiſſimo codice.

IN ORATIONEM PRO L. VALERIO FLACCO.

Iratus Flacco dixit M. Lurco: quòd, ut ipſe aiebat, libertus erat eius turpi iudicio condemnatus. Nihil dixit quod læderet eum, quum cuperet: impediebat enim religio. tamen id quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore & pallore dixit?

Multo melius fluit oratio ſi legas *quem cuperet*. vt in veteri libro. Sic & ſuprà pag. huius voluminis 40, quodam loco, Quem pro Quū reponendum cēſui. Quod hìc qui retinere volet, pro Etiamſi dictū acci piat neceſſe eſt.

Egentes & leues ſpe legationis & uiatico publico, priuata etiam benignitate prolectat.

Legitur ita cum in aliis editionibus, tum in Manutiana. at ex veteri exemplari *largitionis* pro *legationis* reponatur neceſſe eſt.

Itaque perſcrutamini penitus naturam rationémque criminum: iam nihil præter ſpeciem, nihil præter terrorem ac minas reperietis.

Non minus conſtat & de hoc loco: nimirum pro *ſpeciem* legendum eſſe *ſpem*. etſi habet & Manut. *ſpeciem*. Nam duo duobus reddita ſunt à Cicerone: qui quum modò dixiſſet, Locupletes homines & graues, ne ſibi aduerſentur, teſtimonii denuntiatione deterret: egentes & leues ſpe largitionis & viatico publico, priuata etiam benignitate prolectat: Concludēs hūc locum addit, Itaque perſcrutamini, &c. Spem illam, largitionis videlicet.

Qui de tabulis publicis recitat, iis quæ in accuſatoris poteſtate fuerunt, non debet, &c.

Rectius in Vet. *Quia qui de tab. &c.*

*Sed de hoc teſte, totóque Mithridatico * diſſeruit & ſubtiliter & copioſè Q. Hortenſius.*

Exple hanc lacunam. reponens ex vetuſto libro *teſtimonio* poſt *Mithridatico.*

Qui hanc ipſam legationem quam habet, nõ accepit à ſuis ciuibus, ſed uſque Tymolo petiuit.

In Vet. pro *uſque* legitur *abuſque*, & *Tmolo* pro *Tymolo.* Aut *abuſque* cum veteri libro, aut *uſque à* legendum conſtat: & hoc non dubito quin ſuperſtitioſus aliquis Ciceronianus malit. *Tmolo* etiam rectius quàm *Tymolo*, ſi verum eſt ἐκ τοῦ ποιητικοῦ χρηματισμοῦ hoc eſſe.

Q. Naſo, uir ornatiſſimus, qui Prætor fuerat, iudex ſumitur. qui quum ſententiam ſecundum Plotium ſe dicturum oſtenderet, & ab eo iudice abiret, quòd iudiciũ lege non erat, cauſam totam reliquit.

Sic etiam in editione Manutii. Eſt tamen ex hac leui deprauatione non leuis in ſenſu error. Imò verò ne ſenſus quidẽ ex hac lectione colligi vllus poteſt. Nam quale hoc eſt? Q. Naſo, iudex ſumitur, qui quũ ab eo iudice abiret, quòd, &c. Ab eo iudice. A quonam iudice iudex abiret? Lege igitur vt in antiquo codice, *& ab eo iudice abiit, & quòd, &c.* abiit Heraclides videlicet, non Naſo. ab eo iudice, Naſone.

Vbi erant illi Pythodorus & Lepiſon, cæteri homines apud nos noti, inter ſuos nobiles?

Rectius in Vet. legitur, *ubi cæteri hom.* Nam Vbi ſubaudiri hîc ſiue repeti ἀπὸ τοῦ κοινοῦ non placet. cur enim & in ſequenti membro non itidem repetendũ id nobis reliquiſſet? Nimirũ vtroque in loco prætermiſſũ languidiorẽ multo nobis orationẽ exhiberet.

Quò quum ueniſſet Lælius ad iratos, & illud Caſtricianum uulnus dicendo refricuiſſet, ſiluerunt principes, neque in illa concione adfuerunt, neque ipſius decreti ac teſtimonii authores eſſe uoluerunt.

In Vet. legitur *exſiluerunt*. Quæ lectio longe melior eſt: imò verò ſola bona eſt. ſi modò hîc illud exemplar adſtiueris, tollendo literam *ſ* poſt *x*, vt ſit, *exiluerunt*. Nam quomodo illa altera lectio ferri poſſit, non video. Siquidem præterquam quod eſſet ὕστερον πρότερον, Siluerunt in illa concione, neque adfuerunt: quum dicendum fuiſſet, Non adfuerunt in illa concione, & ſiluerunt: quiddam etiam abſurdius hîc haberemus, nimirum ineptiſſimam quandã battologiam nõ in verbis, ſed (quod peius eſt) in ſententia. Quis enim aliquem illic locutum eſſe exiſtimet vbi ne fuerit quidem? Addendum igitur non fuiſſet Siluerunt. Niſi fortè verbo Adfuerunt aliam ſignificationem demus. quod non placet. Scito præterea pro *ipſius* legi illic *iſtius*.

Alio loco quæram quid licuerit Flacco: nunc tantũ à Trallianis requiro quam pecuniam à ſe ablatam querũtur. ſuámne dicant, ſibi à ciuitatibus collatam in uſum ſuum, cupio audire.

Veteris autem libri hæc eſt lectio, *quam pecuniam à ſe ablatam querantur. ſuámne dicant, & ſibi à ciuitatibus collatam in uſus ſuos, cupio audire.* Legendum eſſe *querantur*, manifeſtius eſt quàm vt vlla probatione egeat. Sic Trahuntur pro Trahantur perperam legi, eodem quidem mendi genere, ſed periculoſius quod ad ſenſum, oſtendi ſuprà pag. 56. Neceſſariã item eſſe copulatiuam *et* non video quis negare auſit. Poſſe autem dici In vſum ſuum vt & *In uſus ſuos*, fateor: ſed ita vt aptius huic loco poſterius iſtud eſſe contendam.

At moleſtè fert ciuitas. Credo. amiſſum eſt enim præ-

ter ſpem quod erat ſpe deuoratum lucrum.

Legitur in Vet.*auulſum eſt enim præter ſpem.* Longe recti⁹, meo quidẽ iudicio, ſi illud *deuoratũ* cõſideres.

Niſi forte hæ ciuitates exiſtimari uolunt, facilius una ſe epiſtola Mithridatis moueri impellique potuiſſe ut amicitiam populi R. fidem ſuam, iura omnia officii humanitatiſque uiolarent, quàm ut filiũ teſtimonio læderent, cuius, &c.

In Vet.codice legitur, *fidem ſuam, omnia officia ſocietatis humanitatiſque uiolarent.* Fortaſſe autem adiuuandus hîc quoque ille fuerit, legendo *officia ſocietatis humanæ uiolarent.* Bona tamen & illa lectio eſt.

Prætores noſtros deditos, Legatos in uincula coniectos, nominis propè Romani memoriã cum ueſtigio imperij non modò ex ædibus Græcorum, uerumetiam ex literis eſſe deletam.

In Vet.pro *ædibus* legitur *ſedibus.* quod mihi magis placet, imò verò omnino ita legi neceſſe eſſe exiſtimo, reliquas omnes phraſes quæ cum hoc nomine efferuntur, cõſiderans. Idem verò error & apud Tibullũ lib.1, eleg.10, Neu pudeat priſco vos eſſe è ſtipite factos. Sic veteres ædes incoluiſtis aui. Pro veteris ſedes. Sed quũ legeretur primùm veteris ſedes, deinde per errorẽ omiſſum fuiſſet illud *ſ*, aliquis ex edes, ædes, &, vt ſtare poſſet verſus, ex veteris fecit veteres. Quanquam veteres ſedes etiam legi poſſet: ſed malo antiqui libri lectionem.

Sequitur auri illa inuidia Iudaici. Hoc nimirum eſt illud quod non longè à gradibus Aureliis hæc cauſa dicitur. ob hoc crimen hic locus abs te Læli atque illa turba quæſita eſt.

Iu Vet.legitur, *ad hoc crimen.* Ferri videtur poſſe vtraque lectio.

At Cn. Pompeius captis Ieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit. in primis hoc, ut multa alia, ſapiēter, in tam ſuſpicioſa ac maledica ciuitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit.

In Vet. *In primis hoc, ut multa alia, ſapienter, quòd in tam ſuſpicioſa, &c.* Ita fere Cicero, ſi bene memini, loqui ſolet. Paulo pòſt, *Apameæ manifeſtè comprehenſum,* In Vet. *deprehenſum.*

Adductus eſt in iudicium Polemocrates de dolo malo, & de fraude à Dione, huius ipſius tutelæ nomine.

In Vet. pro *de fraude à Dione* legitur *defraudatione.* nimirum ſi hanc ſequamur lectionem, *Adductus eſt in iudicium,* abſolutè dicitur.

Num honeſtior eſt ciuitas Pergamena, quàm Smyrnæ? at ne ipſi quidem dicunt.

In nonnullis editionibus legitur *Smyrnæa.* at in Vet. *Smyrna.* Hanc lectionem verā eſſe puto. & aliquem, quū Smyrna in Smyrnæ mutatū iam reperiſſet, addito afeciſſe Smyrnæa, vt cum Pergamena cōueniret.

Iſti igitur, iſti Pergameni perſcriptiones quas tu afferebas, repudiarunt.

In Vet. legitur *proſcriptiones,* pro *perſcriptiones,* quod etiam in Pauli Manutii habetur editione. Atqui ſine veteris codicis auxilio, facilè ex paulo antè præcedēte loco poterat hic emēdari. Dixerat enim, Defers ad Pergamenos vt illi reciqerent iu ſuas literas publicas præclara proſcriptiones & emptiones tuas. Repudiant, reiicieiunt.

In P. *Globulum, meum neceſſarium, fuiſti gratioſior. Vtinam neque ipſum neque me poeniteret. Flaccum in curia decreuiſſent. Veridicas adiungis cauſas inimicitiarum, quòd patri L. Flacci, &c.*

Corruptiſſimus hic locus antiqui libri opera pul-

cherrimè ita reſtituetur, *Flaccus ui & iniuria decreuit, motus paternis odiis. uerâſque adiungis,&c.* Hîc certè videre poſſumus quomodo ex detortis, inuerſis, peruerſis, permutatis literis primùm, deinde ſyllabis, deprauari tandē ſoleāt totæ periodi, atque adeo ita deprauari vt ne vllus quidem ex ipſis elici poſſit ſenſus. Recte autem verba hæc *paternis odiis* cum paulo pòſt ſequentibus conueniunt *inimicum paternum.* Pro *Veridicas* autem obſerua legi *Verâſque*, in eodem librò. vbi copulatiuam aliquis fortaſſe ſuperuacaneam eſſe exiſtimet. Ego neceſſariam non eſſe fateor, ſed ita tamen vt locum hîc habere illam poſſe contendam. nam quum dicit, Flaccus vi & iniuria decreuit,&c. perinde eſt ac ſi diceret, Flaccum ais vi & iniuria decreuiſſe, motū &c. Quibus cōmodè addetur, Verâſque adiungis,&c. Fortaſſe autem ideo neminē offēdit hoc loco accuſatiuus Veridicas, quòd idem eodem vſus reperiatur vocabulo alibi, videlicet De diuinat.1, vbi ait, Et in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto miſſæ eſſe dicuntur. Verùm Cicero idipſum verbum vſurpat fortaſſe quod ex narrante fama audierat. & vt hoc omittam, vtrū Veridicæ cauſæ eadē ratione vſurpabitur qua Veridicæ voces? Si ita quoduis adiectiuum cuiuis ſubſtantiuo iungere licet, quid obſtet quominus Fatidicas cauſas vt Fatidicas voces dicamus?

Sed ſi iuſtas inimicitias putabas, cur, quum Tribunus militum Flaccus eſſet, in eius legione miles fuiſti, quum tibi per leges militares effugere liceret iniquitatem Tribuni? Cur autem per te inimicum paternum in conſilium uocauit?

In Vet. legitur, *Sed ſi tamen iuſtas,&c.* addita particula *tamen*, quæ à Cicerone ſæpe ita vſurpatur. In co-

dem pro *per te* legitur *ipſe*. Tribunus videlicet. At in editionibus nonnullis (vt & in Manutiana) nec *ipſe*, nec *per te*, ſed *Prætor* legitur. quam lectionē ab aliquo primùm introductā fuiſſe arbitror, qui quum *per te* mēdoſè hîc legi perſpiceret, procliuem ex prætor in per te lapſum fuiſſe exiſtimauit. Atqui ſatius erat lectionem apertè corruptā & à qua omnes ſibi cauendum eſſe cognoſcebāt, in cōtextu relinquere, quàm aliam in qua occultior quidem ſed grauior eſſet error, in eius locum reponere. Quantus autem ille ſit, & quàm abſurdè hîc omnia dicantur, conſidera. Dicit Cicero, Cur autem ipſe Flaccus Tribunus militum vocauit in conſilium te paternū inimicū. id eſt, te quem ille inimicum habebat, eo quòd & patrem tuum antea inimicū habuiſſet. Patrē intellige quem modò dixit Prætorem fuiſſe factū. Iam igitur quale iſtud ænigma erit? Cur autem ipſe Prætor te inimicum paternum, &c. Nimirum vt ænigma hoc ſolui poſſit, eundem & filium & patrem fuiſſe dicamus neceſſe eſt.

Nunc accuſamur ab ijs qui in conſilio nobis fauerunt. Decreuit Flaccus: num aliud atque oportuit? In liberos: nū aliter ac cēſuit Senatus? In abſentē decreuit: quum ibidem eſſes, quum prodire nolles, non eſt hoc in abſentem reum * S E N A T.

In antiquo exemplari hîc pro *fauerunt* (pro quo in nonnullis editionibus habetur *fuerunt*) ſcriptum reperitur *affuerunt*. Itidem & infrà, vbi legitur in quibuſdā editionibus, *cum cui tu in conſilio fauiſſes.* in aliis autē, *tu in conſilio fuiſſes*, idem vetus codex ſcriptū habet *affuiſſes*. In quo etiam legitur, *non eſt hoc in abſentem reum decernere.* addito infinitiuo qui antea nō ſine magno huius ſententiæ deſiderabatur incommodo.

Non multo pòſt autē, miror cum in aliis editionibus tum etiam in Manutiana ita legi *quas eaſdem mulieres à me datas*. quum in ſuperiorum temporū editionibus habeatur alia non itidem ſuſpecta lectio (quæ etiam teſtimonio veteris libri confirmatur) videlicet hæc, *mulieri à me datas*. Præterea ſtatim pòſt, vbi vulgò, *Recita literas Q. Ciceronis*, in veteri codice legitur, LITERAE CICERONIS, ita ſcriptū vt quod præceſſerat SENATVS C.&c. In nonnullis editionibus habetur, R. *literarúmque Ciceronis*.

Commiſiſti, ſi tempus aliquod grauius accidiſſet, ut ex iiſdem prædiis & Apolloniæ & Romæ imperatum eſſet tributum.

Veteris libri lectio eſt hæc, *Promiſiſti, ſi tempus aliquod grauius accidiſſet, ut ex iiſdem prædiis & Apollonide & Romæ imperatum eſſet tributum, te non recuſaturum. Ver. &c.* Hanc lectionem quin ſequi debeamus (niſi illud *commiſiſti* detorquere velimus) nemini dubium eſſe poſſe exiſtimo. Sed & hoc obſeruari par eſt, legi in hoc libro *Apollonide*, nō *Apolloniæ*. vt paulo antè Apollonidenſes & Apollonidenſibus habetur. quod ἐθνικὸν nomē reperitur etiā libri 1. epiſt. ad Q. fr. epiſtola 2. At verò lib. 5. epiſt. ad Att. epiſtola 13, non inuenies Apollonidenſem, aut Apolloniēſem, ſed Apollonicēſem. Verùm hoc quin deprauatum ſit, non dubito: at de illis duobus ἐπέχω. quia reperio tantùm Ἀπολλωνία & Ἀπολλωνιεύς. Vt tamē mira mihi non videatur hæc varia lectio, facit quòd in illis ἐκλογαῖς ex Ctesia (quas excudi nuper cū aliis hiſtoricis opuſculis) itidē modò Ἀπολλώνιον, modò Ἀπολλωνίδην vocari eundem cōpererim. Pro his autem verbis quæ ſtatim pòſt habentur *centum triginta millia*, ſcriptū eſt illic C. X X X. M. HS. poſtrema autem hac nota *ſeſtertia* ſignificari neminem latere debet.

*Retulit ad iuriſconſultos. conſtabat inter omnes, ſi aliena cenſendo Decianus ſua facere poſſet, eũ maxima habiturum eſſe * * * Habetis cauſam minucitiarum. qua cauſa inſt.*

Cum in aliis editionibus, tum in Manutiana, non appoſiti ſunt huiuſmodi aſteriſci huic loco, quales hic vides, ſed vacui ſpatii aliquid interiectum eſt, in cuius medio adnotatur, Deſunt nonnulla. Ego haud ſcio an ad perficiendã hanc quæ eſt imperfecta, ſententiam, tria verba quæ in veteri codice reperio, ſufficiant. ita enim illic legitur, *eum maximam habiturum eſſe rerũ omnium copiam.*

Scilicet defendam Decianum, qui tibi in ſuſpicionem nullo ſuo delicto uenit.

In Vet. legitur *Sed* non *Scilicet*. cuius lectionẽ hic quoque magnopere probo. quòd nullam Ciceronis verba præ ſe ferre videantur ironiam, quã particula Scilicet exprimi ſcimus ſolitã. In eodẽ paulo pòſt legitur *Niſi* pro *Si*, eo loco, *Si tibi morẽ gerere uoluiſſet?*

Sed ut hoc uerisſimile eſt, ita haud uerisſimile Decianum à Flacco eſſe corruptum. Ita ſcitote, iudices, eſſe cætera.

In antiquo codice ita ſcriptũ reperitur, *Sed ut hoc uerum eſt aut ueriſimile, Decianum à Flacco eſſe corruptum, ita ſcitote eſſe cætera.* Sed hic profectò illius codicis fides in dubiũ apud me venit: & veniet apud omnes qui præcedẽtia attentè cõſiderare voluerint Ciceronis verba. In eodem ſtatim pòſt, pro, *quum te emebat,* legitur, *quum abs te emebat.*

Vt eam pecuniam quam confecerat, non conſumpſiſſe, ſed Flacco dediſſe uideatur.

In vetuſto illo libro pro *confecerat* habetur *traiecerat*. Sed hic ab eo diſcedere non dubitauerim, quum videam paulo antè dixiſſe Ciceronem, Qui patrimo

nium ſatis lautum, quod hîc nobiſcum conficere potuit, Græcorum cõuiuiis maluit diſſipare. Et ſtatim pòſt, Bona comeſſe, pro eodem.

Si L. Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in Rep. ſtudium calamitati fuerit, quem poſthac tam amentem fore putatis, qui non illam uiam uitæ, quam antè præcipitem & lubricam eſſe ducebat, huic planæ & ſtabili præponendam eſſe arbitretur?

Vetus codex habet *in Remp.* quo modo legendum eſſe, etiam ſine illius teſtimonio, affirmare potuiſſemus. Sed in ſequentibus, parua licet mutatione, multum tamen eius lectio ab hac noſtra diſcrepat. Ita enim illic ſcriptũ eſt, *Tam amentem fore putatis, qui iſtam uiam uitæ præcipitẽ & lubricã quam ante dicebat, huic &c.*

IN ORATIONEM PRO P. SYLLA.

Nullus unquam de Sylla nuntius ad me, nullum indicium, nullæ literæ peruenerunt, nulla ſuſpicio.

In Vet. legitur, *nulla denique ſuſpicio*, quæ vox ſine graui errore prætermitti potuit, eſt tamen huic loco aptiſſima, & ad Ciceroniani ſtyli formam accõmodatiſſima. Aliquãto pòſt in eodem, pro, *Si ſibi ſuus pudor ac dignitas &c.* legitur, *Quum ſibi ſuus &c.*

Nemo enim iſtuc M. illi Catoni ſeni, quũ plurimos haberet inimicos, nemo Coruncano, nemo Curioni, nemo huic ipſi noſtro C. Mario, quum ei multi inuiderẽt, obiecit unquam.

Vetus liber ſcriptum habet *Curio* non *Curioni*. In eodem paulo pòſt legitur, *&, ſi uerum quæris, ne curant quidem.* quũ in vulgatis editionibus copulatiua illa non ſit. Aliquanto pòſt vbi in his legitur, *Sibi haberent honores, ſibi imperia, ſibi &c. mihi liceret &c.* in illo ſcriptum eſt, *Sibi haberent alii hon. &c.* addito nominatiuo *alij*, qui pernecceſſarius eſt: quum aliquo

omnino opus ſit,nullus autē aptior illo afferri poſſe videatur. Eodem modo & in libro De ſenectute locutus eſt,Habeant igitur alii ſibi arma,ſibi equos,ſibi haſtas,ſibi clauam: nobis relinquant &c. At in oratione pro Flacco, etiam verbum Licere in huiuſmodi loco ponitur:quum ait, Sed cætera ſint eorum: ſibi habeant potētiam, ſibi honores,ſibi cæterorum commodorum ſummas facultates.Liceat iis qui &c.

Longè abeſt regnū ſuſpicio. ſi quæris qui ſint Romæ *regnum occupare conati,ut ne replices annalium memoriam,ex domeſticis imaginibus inuenies.*

Antiquus liber additam habet particulam copulatiuam ante *ſi*,hoc modo,*Et,ſi quæris qui &c*.Sic paulo antè admonui illic eidem particulæ præfixam haberi, contrà quàm in vulgatis editionibus, illo loco, *&,ſi uerum quæris*. Certè non in his tantùm,ſed & in aliis locis eam omiſſam eſſe deprehēdi,in quibus tamen ex veteri codice adnotatam non inuenio.

Quod quum is Tribunus *pl.facit, qui unus uidetur ex illis ad lugendos coniuratos relictus.nec mirum eſt.*

Sic legitur cum in aliis editionibus, tum in Manutiana. atqui manifeſtè particula *quum* nobis perturbat ſententiam. quam ſiquis retinere vellet, eum negatiuam *nec* ante *mirum* in *non* mutare neceſſe foret. Quanquam ne ſic quidem cōmodè retineri poſſe mihi videtur. Ita enim dicendum potius fuiſſet, Quod eum Trib.pl.facere,mirum non eſt.Seruemus igitur particulam *nec*,quam habemus:ſed illud *quum* expungamus,ex veteris exemplaris authoritate.aut certè quandam editionem typographicam omnium ferè primam ſequuti, in locū huius particulæ *quum* reponamus *tamen*. Reperies autem & alibi apud Ciceronē huiuſmodi particulas aut ſuperuacaneas, aut certè alias pro aliis poſitas:quæ tibi non parum exhi-

bebunt negotii: niſi nunc à me præmonitus, ab illis tibi caueas.

Harum omnium rerum quas ego in Conſulatu pro communi ſalute ſuſcæpi & geſſi, L. ille Torquatus, quum eſſet meus contubernalis in Conſulatu, quum ſignifer eſſet iuuentutis, atque in Prætura fuiſſet, author, adiutor, particeps extitit.

Nimirum ſua ſede mota ſunt hæc verba, *atque in Prætura fuiſſet.* hoc enim dicere vult Cicero, Quum eſſet meus contubernalis in Conſulatu, & iam antea (nimirum biennio antè, vt ex oratione in Rul. diſcimus) in Prætura meus contubernalis itidem fuiſſet. Hoc igitur ordine colloca verba, quo collocata in veteri codice habes, *quum eſſet meus contubernalis in Conſulatu, atque in Prætura fuiſſet, quum ſignifer eſſet iuuentutis, author, &c.* nimirũ author, adiutor harũ omnium rerum quas ego geſſi. Sunt enim per parentheſin addita reliqua. At quorſum repetuntur illa verba, *Quũ ſignifer eſſet iuuentutis?* Priori loco expũgendą cenſeo.

Sed iam redeo ad cauſam: atque hoc uos iudices teſtor: mihi de memetipſo tã multa dicendi neceſſitas quædam impoſita eſt ab illo.

Nõ mala eſt hæc lectio, & defẽdi certè poteſt: ſed melior eſt illa veteris libri, *mihi de memetipſo tam multa dicendi neceſſitatem quandam impoſitam ab illo.* Nimirum ſi hoc modo legas, melius continuatum fuerit filum orationis: ſi illo, velut interruptum fuerit: & à verbo *teſtor* hæc nõ pendebũt, ſed erũt ſeorſum pronũtiãda.

Allobrogibus nominatum Syllam eſſe dicis. Quis negat Syllæ indicium? at uide quemadmodum nominatus ſit. Lucium Caſſium dixerunt, &c.

In veteri exemplari non extant hæc duo verba, *Syllæ indicium.* quæ ego ex margine in contextum (vt

multa paſſim apud vtriuſque linguæ authores)irrepſiſſe mihi perſuadeo. Certè vndecũq; illa ſint, falſò pro Ciceronianis habẽtur. niſi Ciceronẽ idem & negare & fateri exiſtimemus. Dixit enim ipſe antea, Nullus vnquam de Sylla nuntius ad me, nullum indicium, nullæ literæ peruenerunt, nulla denique ſuſpicio. Dicet item poſtea, Illud mihi tantùm ſatis eſt, contra Syllã nihil eſſe in indicio. Sed & circa orationis huius finem, Dico hoc quod initio dixi, nullius indicio, nullius ſuſpicione, nullius literis de re P. Syllæ rem vllam ad me eſſe delatam. Dixerat quidẽ antea, Syllam interea nemo inſimulauit, nemo nominauit: quum tamen hîc Allobrogibus nominatũ eſſe fateri velle videatur. Sed quomodo & quatenus id fateatur, & vtrum αἴδῶ προσδιορισμοῦ, videndũ eſt.

Sed ego in iudiciis & quæſtionibus non hoc quærendum arbitror, num purgetur aliquis, ſed num arguatur.

Ego hîc ex veteri libro nihil adnotatum habeo, ſed ego ex mea coniectura pro *iudiciis* repono *indiciis*. quæ cum ſequentibus nititur, tum etiam præcedentibus: ac illo præſertim loco vbi dixit, Illũ Allobroges maximarum rerum veriſſimi indices, illum multorum literæ ac nuntii coarguerunt.

An verò quum honos agebatur ampliſſimus familiæ veſtræ, hoc eſt Conſulatus parentis tui, ſapientiſſimus vir familiariſſimus ſuus non ſuccenſuit pater tuus, quum Syllam & defenderent & laudarent?

Sic legitur cum in aliis editionibus, tum in Manutiana. ſed perperam. legẽdum eſt enim ex veteri, *familiariſſimis ſuis ſuccenſuit*, abſque negatiua particula. & vt vetus exemplar expungendæ huius poteſtatem nobis non daret, ſatis videmus (retinendo eam) Ciceronem idipſum quod affirmare vult, negare. Quid faciemus ergo hac particula? Nimirũ ex hoc loco ad

ſuperiorem quendã (qui hũc quatuor dũtaxat præcedit verſibus)eam tranſferre debemus.nam vbi legitur,*Imò ſeruitus eſt,non dicere in quem uelis, ac defendere quem uelis*, rectius legetur,vt in veteri,*ac non defendere.* Nam vbi vel minimum ſubeſſe poteſt àmbiguitatis,non ſolent authores particulas huiuſmodi nobis ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendas relinquere. nequis,dum hoc faciendum eſſe non cogitat, alium ſibi ſenſum, licet abſurdum, fingat. Scin' tu verò quid ſuſpicer? Nempe quum in alicuius libri margine particula hæc adnotata fuiſſet, vt quæ in cõtextum recipi deberet, à quopiã non ſatis animaduertẽte vbi illi aſſignata ſua eſſet ſedes,hîc collocatam fuiſſe,vt quolibet in loco,dummodo aliquo, poſita eſſet.Idẽ certè in nonnullis Græcorum authorum contigiſſe locis deprehendi.

Sed quid eſt tandem quod indicat per iſtum puerum Cornelius? Si eſt cauſa mihi ignota,cum Hortenſio *communicata,reſpondeat* Hortenſius.

Aliter vetus exemplar, in quo legitur, *neque mihi cum Hortenſio communicata.*

Arrepta eſt familia,quæ ſi eſſet prætermiſſa,poſſet alia familia Fauſti munus præbere.

Sic legitur cum in aliis editionibus, tum verò in Manutiana.At tu ex veteri codice pro *Arrepta* repone *At empta.* Sic modò dixerat, gladiatores emptos. Sic & mox dicet,Familia eſt cõparata. Itẽ,Vt emat gladiatores,& vt hos ipſos emat.

Ac profectus eſt non modò ob cauſam,ſed etiam neceſſariam cauſam,magna ratione cum Mauritaniæ rege contracta.

Lege vt in veteri exemplari, *magna ratione pecuniæ,* licet in Manutiana etiã editione nõ habeatur hic genitiuus.

Iam uerò illud quàm incredibile, quàm abſurdum: qui Romæ cædem facere, qui hanc urbem inflammare uellet, eum familiariſſimum ſuum dimittere abs ſe & mandare in ultimas terras?

Non dubium eſt quin pro *mandare* legendum ſit vt in antiquo libro, *amandare*. Sic Cicero Pro P. Quintio, Is non modò ex numero viuorum exturbatur, ſed, ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur. Ita enim legitur in emẽdatioribus editionibus, quũ legatur in aliis, mandatur. Sed in oratione ad Quirites vno cõſenſu omnes quas vidi editiones verbum illud, non hoc, habent, vbi ait, Quum is inimicus qui ad meam perniciem vocem ſuam communibus hoſtibus præbuiſſet, ſpiritu duntaxat viueret, re quidẽ infra omnes mortuos amãdatus eſſet. Ne hoc quidem, licet leue, omittere volo, paulo pòſt pro *dimittẽdum eſſe*, legi in veteri, *dimittendum a ſe.*

Atque hoc in loco in L. Cæcilium prudentiſſimum atque ornatiſſimum uirum uehementer inuectus eſt.

Legitur in veteri libro, *pudentiſſimum* pro *prudentiſſimum.* Hic certè error non vno in loco eſt in vulgatis editionibus. Nam & lib. 7. epiſt. ad fam. epiſt. 5, bona pars editionũ habet, Probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem eſſe neminem. Quum legendum ſit Pudentiorem. Pudorem autem cũ alibi, tum in hac ipſa oratione commendat Cicero, quum ait, Non cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem iſta ſuſpicio.

*Atque in ea re per L. Cæciliũ Sylla accuſatur, in qua re eſt uterque laudandus. Primùm Cæcilius, qui id promulgarit, in quo * * res iudicatas uidebatur uoluiſſe reſcindere, ut ſtatueretur: Sylla rectè reprehẽdit.*

Poſui

ʳ Poſui aſteriſcos inter *quo* & *res*, quibus indicarem deeſſe hîc aliquot verba. etſi quicquam deſiderari vix vllus vel ſuſpicari quidem potuiſſet. Sunt verò longè omniũ periculoſiſſimi hi loci, qui quum ſint mutili, prima fronte tamẽ integri apparẽt. Legendũ eſt autem hîc ex antiquo libro, ſi lacunam (vt vocãt) explere volumus, *Primùm Cæcilius, qui id promulgarit in quo fratris caſum leuare poſſet: quem, quia res iudicatas &c.* Hanc autem lectionem & præcedentia & ſequentia ſatis apertè confirmant, & vix poſſe, niſi his additis, conſtare ſententiã, oſtendunt: Sed hoc quoque ſciendum eſt, in eodem vetuſto libro, pro *ſtatueretur*, legi *deſiſteret*. quo verbo ipſe Cicero, idem exponens, modò vſus erat, quum diceret, Promulgarit impulſus amore fraterno, deſtiterit fratris authoritate deductus. Sicut & verbum Leuare vſurpauerat, quod inter cætera hîc ex antiquo addidi, vbi ait, Non de tollenda, ſed de leuanda calamitate fratris ſui. Non multo pòſt autem, vbi habes, *pœnam ambitus eam ferebat*, illic legitur, *auferebat*, pro *eam ferebat*.

Ex illo tempore L. Cæcilius multa de Rep. egit. agrariæ legi, quæ tota à me reprehenſa & abiecta eſt, interceſſorem fore profeſſus eſt.

Nullam editionem vidi in qua non ita legatur, *de Republ. egit*. Miror autem, quum multi multa in Cicerone emẽdare ſibi permiſerint, ſine vllius antiqui exemplaris authoritate, etiam non ſine magna immutatione: qui hũc locum corrigeret, detracta duntaxat vna litera, fuiſſe neminem. Nam qui ex *de* feciſſet *è* (vt etiam habetur in veteri exẽplari) pro locutione ab hoc loco & à mente Ciceronis alieniſſima, aptiſſimam & ab ipſo Cicerone ſæpiſſime vſurpari ſolitam repoſuiſſet. Non multo pòſt ex eodem libro pro *quis tamen*, repone *quis tandem*.

Etenim de principio ſtuduit animus occurrere magnitudini criminis, ſatiſfacere expectationi hominum, de me aliquid & de ipſo qui accuſatus eſt, dicere. nunc iam reuocandi eſtis eo, quò uos ipſa cauſa etiam tacente me cogit, animis.

In antiquo codice legitur, *accuſator eſt,* nō autem *accuſatus eſt.* Nemo certè præcedentia legerit, qui nō veteri exemplari hîc aſſentiatur. Quale autem illud eſſet, Ciceronē ſtuduiſſe de principio aliquid de eo qui accuſatus eſt, dicere? quaſi verò non tota ſit & eſſe debeat plena eius mentione oratio? Miror verò magis, in iis quæ aliquanto pòſt habētur, prætermiſſum fuiſſe cum in aliis editionibus, tum in Manutiana, fœdum quidem, ſed manifeſtum ſatis errorem, *conatum* pro *contaminatum*, de Catilina, *Conatum eſſe hominem uſque à pueritia, non ſolùm intemperantia & ſcelere, ſed etiam &c.*

Non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc uitam, nō in hunc hominē iſta ſuſpicio.

Quorſum iſtud *inquam*, quum nihil repetatur? Certè aut expungere hanc vocem debes, aut legere vt in vetuſto codice, *Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non &c.*

Omnia, iudices, hæc amiſſa ſunt: omnia generis, nominis, honoris inſignia atque ornamenta, unius iudicij calamitate occiderunt. Sed ne extinctor patriæ, ne proditor, ne hoſtis appelletur, ne hanc labem tanti generis in familia relinquat, id laborat, id metuit.

In veteri codice legitur, *conciderunt* pro *occiderunt.* Differentiam autem inter hæc duo verba cōſtituit Cicero in oratione Pro domo ſua, quum ait, Rémque publicam concidere vnius diſceſſu, quàm omnium interitu occidere malui. Verùm hoc quidem in lo-

eo varia lectio eſt. Hoc igitur leue eſt. at non leue iſtud, quòd pro *generis* illic legitur *ſceleris*, poſteriore quidem loco: ſic, *ne hanc labem tanti ſceleris in familia relinquat.*

Huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera & fori quàm diſciplinarum. Non iam de uita &c.

In vetuſto libro legitur, *quàm diſciplinarum & ſcholæ.* & quin ita ſcripſerit Tullius nō dubiū eſt: apud quē (vt & apud omnes idoneos ſcriptores) ſolent ita duo duobus reſpondentia poni. Rectè igitur hîc vt iudicia cum diſciplinis, ita forum cum ſchola cōmiſiſſe eum dixerimus. nam vt forum locus eſt iudiciorum, ita ſchola locus diſciplinarum.

Teipſum iam Torquate expletum huius miſeriis pateat: &, ſi nihil aliud Syllæ niſi Conſulatum abſtuliſſetis, tamen eo uos contentos eſſe oportebat.

Quid hoc ſibi vult? *Pateat te expletum huius miſeriis.* Nimirum (dicet aliquis ſtatim, ſingula propius non aſpiciens) Pateat accipitur pro manifeſtum ſit. quæ eſt huius verbi frequētiſſima ſignificatio. Quòd ſi eum rogem, quomodo hæc iungentur, *pateat* & *oportebat*, quid reſpondebit? Certè hîc obmuteſcet. Ne quis igitur hîc ſe torqueat, admoneo legendum eſſe *par erat*, vt in veteri codice, pro *pateat.* tunc bellè cohærebit cum his illud *oportebat*. hoc pacto, Te miſeriis huius expletum eſſe decebat, & oportebat, &c. Nam & hoc non tacendum eſt, infinitiuum *eſſe* in illo libro haberi poſt *expletum*. Non dicit igitur Cicero, Oſtende te ſatiatum eſſe. ſed, decebat te ſatiatum eſſe. illum nondum ſatiatum eſſe indicans. De hoc autem etiam initio orationis conqueſtus eſt, quū diceret, Tamen haberet quoſdam quorum animos ne ſupplicio quidem ſuo ſatiare poſſet. Diſce vel ex hoc loco lector, vt nulli ſint ſæpenumero deprauatiores loci, quàm ii qui nullam deprauationem

præ ſe ferunt. Vt autē hîc habes *pateat* pro *par erat*, nato primùm errore ex mutatione literæ *e* in *r*, ita viciſſim errorem ex *r* in *e* perperam verſo habuiſti à me adnotatum ſuprà, pag. 42. Hoc quoque non indignum eſt quod adnotetur, legi aliquanto pòſt, *aut cui nouæ calamitati locus ullus relictus eſſe*. non autem *eſſet*. nimirum vt repetatur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ verbum *uideretur*.

IN ORATIONEM AD QVIRITES POST REDITVM.

Qui prouinciarum fœdere irretiti, totum illum annum, querelas ſenatus, luctum bonorum, Italiæ gemitum pertulerunt.

In antiquo codice legitur *irritati* pro *irretiti*. Confer hunc locum cum iis quæ paulo pòſt habes verbis, Quum duo conſules empti pactione prouinciarū, authores ſe inimicis Reip. tradidiſſent. Item, Quū omnium prouinciarū pactiones, quum omnia cum omnibus fœdera, reconciliationes gratiarū ſanguine meo ſancirentur.

Italia cuncta ſemper à uobis deprecata eſt. denique omnes qui ueſtris maximis beneficiis honoribúſque ſunt ornati, producti ad uos ab eodem, non ſolùm &c.

Miror, vno conſenſu habere omnes editiones, *eodem*. quum ad nomen *Italia* referri hoc neceſſe ſit, legendo *eadem*. Niſi fortè ad nomen *ſenatus*, quod proximè præcedit nominatiuum *Italia*, referēdum iſtud *eodem* aliquis putet. quod cur fieri debeat, aut quàm commodè fieri poſſit, ille viderit.

Dixit in concione ueſtra, Si ego, conſul quum fui, non fuiſſem, Remp. fund. &c.

In veteri non additur ablatiuus *ueſtra*: & cur addendus fuerit, non video.

Quum parua nauicula traiectus in Africã, quibus regna ipſe dederat, ad eos inops ſupplėxque ueniſſet.

Certè valde eſt ἀνάλογον in editionibus omnib⁹ (quas quidem viderim) participium *traiectus*, ita quidem vſurpatum: at minimè ἀνάλογον eſt quod in antiquo exemplari loco eius habetur *peruectus*.

Bene meritos quin colas, nec exorari fas eſt: neque id Reipub. repetere utcunque neceſſe eſt.

In illo noſtro vetuſto codice legitur *utrunque* pro *utcunque*. vtranque ego lectionem lectori diligenter expendendam relinquo.

IN ORATIONEM POST REDITVM, IN SENATV.

Primò omnium ſciendum eſt, in veteri codice hũc orationis titulũ haberi, *Oratio M.T.Cic. quum Senatui gratias egit.* fortaſſe rectius legeretur *qua*, quã *quũ*.

Quo quiſquam poſſit ueſtra in nos uniuerſa promerita non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando.

In vetuſto codice legitur non *promerita*, ſed *merita*. Scio tamen alibi apud eum vocem illam reperiri: an itidem in veteri codice, hoc verò neſcio.

Poſteaquam uobis poteſtas decernendi non eſt permiſſa per eum Tribunũ pl. qui quum per ſe Remp. lacerare non poſſet, ſub alieno ſcelere deleuit.

In illo libro legitur *delituit* pro *deleuit*. Nihil eſt ob quod meritò reiici poſſe videatur hæc lectio: mihi tamẽ magis illa placet: vt aliena opera eáque clã ad lacerandam Rempub. vſus eſſe dicatur.

IN ORATIONEM PRO DOMO SVA

Cato fuerat proximus (quid ageres non erat) ut qui

modus omnibus moribus fuerat, idem eſſet iniuriæ. Quid? poſſes extrudere ad Cypriam pecuniam? Præda perierit: alia nõ deerit: hũc modò amandandũ eſſe.

In veteri codice ita legitur hic locus, *niſi ut qui mihi dux in omnibus meis rebus fuerat, ſocius idem eſſet iniuriæ. Quid? eijcere poſſes? Non. Quid ergo? extrudere ad Cypriam pecuniam? Præda perierit: alia non deerit: hic modò amandatus ſit*. Hanc autem lectionem tibi conſiderandam diligẽter relinquo. hoc tantùm addẽs, ſi legas, *niſi ut*, parentheſeos hîc nõ mihi videri ponendã eſſe notã.

In ciuis huiuſce ædibus & in urbe, quam ſuis laboribus ac periculis cõſeruaſſet, monumentũ deletæ Reip. collocaris, ad equitum notam, ad dol. &c.

In vetuſto libro pro *conſeruaſſet* legitur *conſecraſſet*. In eodẽ pro *In ciuis huiuſce ædibus*, habetur *In hiſce rebus*. quod non probo.

IN ORATIONEM PRO P. SESTIO.

Atque ego ſic ſtatuo, iudices, à me in hac cauſa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius quàm defenſionis, querelæ quàm eloquentiæ, doloris quàm ingenij partes eſſe ſuſceptas.

In antiquo exemplari legitur, *querelam eloquentiæ*. in qua lectione putarim illi (vt mihi quidem videtur) deprauato opem ferendam: alioqui noſtram potius retinendam eſſe lectionem.

Fuerat ille annus in Reip. magno metu & multorũ timore tanquam intentus arcus in me unum.

In veteri libro ita ſcriptum reperitur, *Fuerat ille annus tam in Rep. iudices, quàm in magno motu*. Vbi itidem adiuuandus ille à nobis videtur eſſe. & ita fortaſſe

legendum fuerit,*non tam in Rep. iudices, quàm in magno &c.* Quin autem ex veteri libro reponendum ſit *motu,* non dubito. & in *metu* deprauatum fuiſſe ab illis puto, quorum auribus illa phraſis noua erat: vt *metu & timore* diceretur ἐκ τοῦ περὶ κινδύνου. Vide ſuprà pa. 51.52, locum vbi pro *Magna res in motu eſt,* repoſui *Magno res in motu eſt.* Quod autẽ attinet ad illum vocatiuum *iudices,* ſciendum eſt, prout varia ſunt exẽplaria, ita aliquando additum, aliquando omiſſum reperiri: non ſecus ac in exemplaribus Demoſthenis orationum, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι.

Vt ab eo prouincias acciperẽt quas ipſi uellẽt, exercitũ & pecuniam quantã uellent: ea lege, ſi ipſi prius Tribuno pl. afflictam Remp. tradidiſſent.

In codice vetuſto legitur, *afflictam & conſcriptam Remp. tradidiſſent.* Fortaſſe autem legendum fuerit *circunſcriptam.* Confer hunc locum cum alio quodam qui eſt in oratione ad Quirites poſt reditum.

Quòd cum Conſulibus illis M. Cato, etiam quum iam deſperaſſet aliquid authoritate ſua proficere poſſe, tamen uoce ipſa ac dolore pugnauit.

In veteri libro, *profici poſſe.* quam lectionẽ ſequendam puto (vt alibi dixit idem Cicero, Quantũ profici poſſit, iudicabimus) aut retinendo infinitiuum *proficere,* addendũ fortaſſis eſſe pronomen *ſe.* vt ſit, *ſe proficere,* aut potius *proficere ſe poſſe.* Nã apud Græcos quidẽ eleganter pronomina in his dicendi generibus, (vbi videlicet nõ eſt, vt loquũtur, tranſitus in aliam perſonã) prætermitti ſcio: at verò apud Latinos authores multis locis in quibus omiſſa fuerãt, ex antiquis exẽplaribus reponenda eſſe cõperi. Sic in hac ipſa oratione aliquanto pòſt, vbi legitur in vulgatis editionibus, *qui omnes de me promulgaturos confirmarant,* in antiquo exẽplari habetur, *ſe de me promulg..* Tamen de hac re ἐπέχω. multa enim vtrinque ſunt exempla.

HENRICVS STEPHANVS Lectori S. D.

HAE ferè ſunt caſtigationes in Ciceronem, lector, non dicam quas habeo, ſed quas in promptu habeo, omnes. Reliquas autem colligere hoc tēpore (quo & variis typographicis occupationib' premor, vel opprimor potius: & huius libelli editionē, vt illi, cuius antea memini, Ciceroniano Lexico adiūgatur, accelerare, imò præcipitare cogor) nullo modo poſſum. Quæcūque habeo tamen in reliquos Ciceronis libros, nō mea magis quā tua fore polliceor: ſiue ſim aliquādo alio eiuſdē argumenti ea cōplexurus libello: ſiue (quod eſt meorum amicorum cōſilium) in id tempus quo Ciceronis operum volumen meis typis excuſum diuulgabo, ſeruaturus. Interim tamē vt ad ſubodorandos qui paſſim extant in Ciceronianis libris errores, ſagaciorem te reddam, ad ſuperiorem meum laborē hoc quaſi corollarium addere volo, vt vniuſcuiuſque propemodum generis mēdorum exempla tibi pauca proponā: partim locos à me antea emendatos in memoriam tibi reuocans, partim alios quoſdā præterea, prout occaſio ſe offeret, corrigens. Sequar autē eundem ferè quē in meis De origine mēdorum libris ſequutus ſum ordinē. qui quidem ſi editi iam eſſent, hoc me labore, quantuluſcunque eſt, non inuitum certè leuarent. ad eos enim, vbi fuſiſſimè argumentum hoc perſequor, remittēdū te cēſerē. Non enim illic eorū modò quæ in Ciceronianis, ſed omniū fermè quæ in Latinis pariter atque Græcis libris reperiuntur mendorum fontes, vt ita dicam, aperui. quibus ſemel apertis, dii boni, quāta errorū copia ſtatim profluxit. Tanta certè vt meas omnes chartas propè inundarint, & me quoque cum

chartis parum fuerit quin obruerint. Sed quoniam ex fontibus illis nondum haurire potes, quòd tibi nondum pateant(patebūt autem, Deo iuuante, propediem)interim promanātes inde.riuulos conſectari ne recuſa. Vale.

EXEMPLA VARIORVM apud Ciceronem mendorum,& eorum cauſæ.

Multa in Ciceronianis ſcriptis accidiſſe menda comperi,eáque periculoſa(vt pote mendorum ſuſpicionem vix relinquentia) ex prætermiſſa aut addita litera una,vel pluribus:interdum in principio vocis, interdum in medio,nōnunquā in fine.Exempla prætermiſſionis ſint hæc. ERROR pro TERROR, à me adnotatū in libro De vniuerſitate,ſuprà pag.13 Sic Tuſc.1,multæ ex recētioribus etiam editionibus habent,*Quam eorum opinionē magni errores conſecuti ſunt. quos auxerunt poetæ. frequens enim conſeſſus theatri, in quo ſunt mulierculæ & pueri,mouetur audiens tam grande carmē, Adſum,&c.* quum legendum ſit vt in quibuſdam,*terrores.*quod vel ſequens verbum *mouetur* ſatis oſtēdit. ſed indicare poteſt & quæ præcedit hæc à me prolata verba vox Formidines.Quinetiam ſtatim pòſt vbi legitur, *Tantúmque ualuit error, qui mihi iam ſublatus uidetur,ut corpora &c.*contra omnium editionum fidem quin *terror* pro *error* reponi debeat, minimè dubito. Sic & in Oratione pro Seſtio, *Quem quum iacentem & conciſum plurimis uulneribus, extremo ſpiritu exanguem & confectum uiderent,defatigatione magis & errore quàm miſericordia & modo cædere aliquando deſierunt.* quum legēdum ſit *terrore.* quanuis in paucis exemplaribus hæc lectio, in plurimis illa habeatur. VIGILO pro EVIGILO,ſuprà pag.49.NVNTIO pro ENVN

TIO,pag.90.EVOCO pro SEVOCO Tuſc.1,in
multis editionib⁹.RATIO pro ORATIO.pag.38.
itidē & Tuſ.2.in multis exēplaribus. RATIO pro
ERRATIO,pag.11. RATIO pro DEMON-
STRATIO,pag.20. PRVDENTISS.pro PV
DENTISS. pag.90. qui error eſt & in quadam e-
piſtola in plurimis codicibus. Poſt primā autem ſyl-
labam, aut in medio, vt NOTIO pro NOTA-
TIO in multis exempl.in Or. pro Seſtio. INCLV
DERE pro INTERCLVDERE.ſic ANTI
EKTON pro ANANTIAEKTON,p.48.AE-
QVALITER pro AEQVABILITER,p.47.
Aut in fine, INGRATIS pro INGRATIIS.
Exēpla additionis,initio quidē,vt PLACATIS-
SIMA in multis codicibus Tuſ.1.pro PACATIS
SIMA.nam non ſemper idem hæc duo ſignificant.
vt,in pace & tranquillitate viuere, dicetur Pacatam
vitam degere,non Placatam.Sic & Pacatius aruum,
Ouidius,non Placatius.In medio, vt AEQVABI-
LITER pro AEQVALITER, viciſſim.In fi-
ne,vt CIVITATES pro CIVITATE,ſuprà
p.52. Sūt verò & quædā voces in quibus præterquā
quod omiſſæ aut additæ perperā literæ, mutatæ e-
tiam fuerūt terminationes. Omiſſæ,vt in DISSO
LVTA & INDISSOLVTA pro DISSO
LVBILIA & INDISSOLVBILIA,
pag. 25.Additæ,vt PLACABILES alicubi pro
PLACATOS.quum non dicere velit,qui ſint e-
iuſmodi vt eos placare poſſis,ſed quos iam placaue-
ris. Sed & nonnunquam accidit vt deperdita pri-
ma vocis litera, poſtea etiā mutetur ſcriptura.hinc
AEDES pro SEDES, ſuprà pag.79.quū ſublata ſ
ex ſedes reliqueretur edes,mutata deinde e in diph-
thongū æ,factū ſit ædes,nimirum vt ſæpe vſuuenit,
ἐκ παραδιορθώσεως.Porro vt ex literis & ſyllabis ma-

lè aut prætermiſſis aut additis non pauci deprauati fuerunt loci, ita etiam ex verbis, nonnunquam & ex ſententiis integris aut non bene omiſſis aut non bene adiunctis corruptos multos videre eſt. Sic duo verba ſuperuacanea eſſe, annotaui pag. 87. duo cōtrà deſiderari (omiſſa vt opinor, conſultò, ab imperito librario redundare illa exiſtimante) dixi pag. 92. Sed & quædã ex margine in contextũ irrepſiſſe dicetur.

Nati ſunt errores & ex litera vna poſita pro altera, in iis præſertim literis quæ affinitatem magnam inter ſe habent, aut in forma vt *r & t*, item *n & u*: aut in pronuntiatione (vt ea quidem iamdudum corrupta eſſe cœpit) ſicut *ſ* & *c*. Hinc *paruit* pro *patuit*, ſuprà pag. 42. & contrà *pateat* pro *par erat*. pag. 93. Ex *u* poſito pro *n* mendũ oſtẽdi, in *iudiciis* pro *indiciis*. pag. 88. Sic *leuitas* & *lenitas* alterũ pro altero perperam ponitur apud hũc. ſic *nos* & *uos*. Ex *ſ* pro *c*, in *conſilio* pro *concilio*, pag. 51. Reperitur & *d* pro *t*, licet nullam cum illo affinitatem habens, in *aliquando* pro *aliquanto*, in Or. pro Quint. *Si non ſtatim, paulo quidem pòſt: ſi non paulo, aliquando*. legendũ enim *aliquanto*. Vocales autem quæ frequentiſſime locos ſuos inter ſe permutant, ſunt *i* & *e*. ſic ſuprà pag. 59. *dimittere* pro *demittere*. ſic in quadam epiſtola *diligere* pro *deligere* multa exẽplaria habent, *i* pro *e* poſito. Contrà *e* pro *i*, in *effectum* pro *effictũ*, vt in Lucullo legitur in nõnullis libris, *viſum effectum ex eo*, &c. pro *effictum*, vt in aliis. Poſitũ verò reperitur & *u* pro *a*. vt *trahuntur* pro *trahantur* ſupra adnotatũ. itẽ *petũt* pro *petãt*. Sed & *u* & *i* permutãtur. vt Tuſcul. 5, *Ea ſi bona ducemus*, quũ in aliis libris legatur *dicemus*. Sic & Tuſ. 2, *Tantũ in dolore duxit mali*. at in aliis, *dixit*. Quinetiã *a* pro *o*, vt *ipſas eteſias*, pro *ipſos eteſias* pag. 46. & viciſſim *o* pro *a*, vt in *multos* poſito pro *multas*, libri 10 epiſt. ad fam. epiſtola 3 à fine. Sed & *i* pro *o*, in *primo* pro *promo*. pag. 29.

Literarum etiam *μεταθέσεις* (quales ſunt in *Suſpicere, ſuſcipere, Exanimare, examinare*) nonnullos apud Ciceronem locos nobis mendoſos reliquerunt, vt videre eſt in ſuperioribus editionibus. verùm ii in recentioribus caſtigati fuerunt: non tamen omnes. nam nuperrime in quendam etiam in recentiſſimis ita deprauatum incidi, ſed cuius nunc non recordor. quærere autem non vacat: quum hæc, ſtatim vt ſcripta ſunt, prelo committere (non ſine magno meo dolore) cogar.

Menda etiam contigerunt ex malè iunctis, quæ diſiungendæ erant: aut diſiunctis, quæ coniungi debuerant, ſyllabis. Male iunctis, vt in Lucullo, de Ariſtone, *Qui quum Zenonis fuiſſet auditor, reprobauit ea quæ ille uerbis, nihil eſſe bonum, niſi uirt. &c.* quum legendũ ſit *re probauit* diſiunctim. ſic *etiam*, pro *&iam* vt adnotaui pag. 58. ex mea coniectura: quam exemplaris cuiuſdã authoritate comprobari poſtea comperi. Sic & *Non floccifacio* pro *Non flocci facio*, planè contrario ſenſu, vt docui pag. 67. Sic *infirma* in quadam epiſtola, ſi bene memini, pro *in firma*. Exempla autem perperã diſiunctarũ ſyllabarum quæ coniungendæ erant, mihi in præſentia non ſuccurrunt.

Occaſionem erratis etiam præbuerunt tum non ſatis diſtinctæ nec articulatæ quorundam pronuntiationes, tum verò non ſatis purgatæ nõnullorum audientium aures: illorum fortaſſe dictantium, horum autem excipientium. Hinc illa eſſe ſuſpicor quæ ſuprà adnotaui, *antiquam* pro *amicam*, item *ſed diis*, pro *ſed iis* (cuius præſertim generis multa apud alios etiã authores exempla inueniuntur) item *me ore* pro *more*.

Nec non antiqua nonnullarum vocum ſcriptura, cur deprauarentur loci quidam, in cauſa fuit. Exempli cauſa, quum olim V E I ſcriberetur pro V I, pro-

cliuis fuit imperitis lapſus ex V E I in V E L.adeo vt hūc errorem in duobus Ciceronis locis (plures enim non memini) commiſſum eſſe mirum non ſit: ſed à nemine caſtigatum adhuc fuiſſe, hoc verò mirum meritò videri poſſit. Sed fallor.nam ex iis alter emē datus in quadā editione fuit.de altero igitur,qui nō dū correctus in vlla,quod ſciam,reperitur,prius mētionem faciam. Is eſt Tuſcul. quæſt. I. Adſcribam autem totum locum,vt facilius de mea,vel potius veteris libri caſtigatione ex tempore iudicium à te ferri poſſit.Ibi ergo de Priamo loquens Cicero,hæc dicit,Hic ſi viuis filiis,incolumi regno occidiſſet,

-·-aſtante ope barbarica,

Tectis cælatis,laqueatis,

vtrum tandem à bonis an à malis diſceſſiſſet? tum profectò videretur à bonis. At certè ei melius eueniſſet:nec tam flebiliter illa canerentur,

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram ſanguine turpari.

Quaſi verò iſta vel quicquam tum potuerit ei melius accidere. quòd ſi antè occidiſſet, tamen euentū omnino amiſiſſet: hoc autem tempore ſenſum malorum amiſit.Et talis quidem Ciceronis eſt locus.in quo quid ſibi vult obſecro illa particula V E L, quo verò pertinebit I S T A, ſi eam retineamus? Nemini profectò dubium eſſe poteſt quin ſcriptum reliquerit Cicero,I S T A V E I.ſed librarius præterquā quod imperitus,etiam negligens, properante nimis oculo legerit V E L pro V E I.Ita igitur hunc locum, aſſentiente præſertim veteri codice, caſtigare ne dubita. Sed & de hoc obiter te admonitū volo,nimirum male hîc legi in omnibus recentioribus editionibus Tamē:recte autem in antiquioribus Tum.ne-

que enim ſententia vllo modo aduerſatiuã particulã admittere hîc poteſt.& illa verba, Hoc autem tempore,optimè reſpondent illi voci Tum. Quid ſi verò ex Talem deprauatum eſſe dicamus Tamen? Senſus certè idoneus eſſet: verùm acquieſcendum cẽſeo alteri lectioni.Et de hoc quidẽ loco hactenus. Alter autem in quo itidem VEL pro VEI (pro quo nos abiecto E ſcribimus VI)poſitum fuit, eſt in libro De vniuerſitate. ita enim illic legitur, Ex materia quæ indiuidua eſt & quæ ſemper vnius modi, ſuíque ſimilis,& ex ea quæ corporibus diuidua gignitur, tertium materiæ genus ex duobus in mediũ admiſcuit quod eſſet eiuſdem naturæ & quod alterius: idque interiecit inter indiuiduum atque id quod diuiduũ eſſet in corpore. Et quum tria ſumpſiſſet,vnam in ſpeciem temperauit: naturámque illam quam alterius diximus, vel cum eadem coniunxit fugientem, & eius copulationis alienam,permiſcẽs cum materia.quũ ex tribus effeciſſet vnum,idipſum in ea quæ decuit membra partitus eſt.Iam partes ſingulas,&c. Altius verba Ciceroniana repetii, vt quò pertinere poſſet particula Vel, facilius perſpiceretur. Sed quocunque circunſpicias,ea quo pertinere poſſit nõ reperies.planè enim ab hoc loco aliena eſt, & falſò poſita pro nomine ablatiui caſus Vei,aut,vt nũc ſcribitur, Vi.Et veteris quidem exemplaris authoritate non nititur hæc caſtigatio:ſed eius vicem ſupplere poſſunt Græca Platonis à Cicerone hîc interpretata verba,quæ ſunt huiuſmodi,καὶ τρία λαβὼν αὐτὰ ὄντα, συνεκεράσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν, τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταυτὸ ξυναρμόττων βίᾳ. Vides vt hæc verba ξυναρμόττων βίᾳ illis reſpondeant,vi cõiunxit. Iam igitur ne hîc quidem quin legendum ſit Vi pro Vel,dubitare quiſquam poteſt. Porrò quod attinet

ad hunc antiquorum ſcribendi morem E I pro I, nõ magis hanc veterum Latinorũ quàm Græcorũ conſuetudinem fuiſſe animaduerti. Habeo enim paginã ab Annibale Caro Roma ad me miſſam, exemplar eorum quæ in ænea quadam vetuſta tabula illic reperta, habebantur, cõtinẽtẽ. Legitur autẽ in ea inter cætera etiam nomẽ Π Α Ε Υ Ρ Ε Ι Τ Ι Κ Ω, verbũ itẽ Ε Π Ι Χ Ρ Ε Ι Σ Α Σ Θ Α Ι per E I. illam autẽ conſuetudinem vſque ad poſteriora tempora permãſiſſe, vel ex eo apparet quod etiam in quamplurimis marmoribus Α Ν Τ Ω Ν Ε Ι Ν Ο Σ per E I ſcriptũ reperitur. Nec verò pro I tãtum, ſed etiam pro H illos E I ſcripſiſſe comperio. ſiquidẽ & in iis quæ ipſe ex quodã vetuſto lapide Venetiis in ædibus Andreæ Lauredani patritii Veneti (viri cui multũ debet antiquitas, & cui multum ob antiquitatis ſtudium debent literati) quàm potui fideliſſimè deſcripſi, reperio quodam loco Τ Ε Ι pro datiuo Τ Η. ita enim legitur illic, Σ Φ Ρ Α Γ Ι Σ Α Μ Ε Ν Ο Υ Σ Τ Ε Ι Δ Ι Μ Ο Σ Ι Αι Σ Φ Ρ Α Γ Ι Δ Ι. quin etiam literа quædã quæ in Δ Ι Μ Ο Σ Ι Αι inter Δ & I à me cognoſci non potuit, & formã præ ſe fert ΞΡ, ſuſpicor eſſe debere E. vt quemadmodum Τ Ε Ι pro Τ Η, ita & Δ Ε Ι Μ Ο Σ Ι Αι pro Δ Η Μ Ο-Σ Ι Αι poſitũ ſit. Quãquã in illo præſerim articulo fœminino ita poſitum E I pro H obſeruaui. Vnde autem illa conſuetudo inualuiſſet tam apud Latinos quàm Græcos, huius loci non eſt quærere. illud quidem certè affirmare poſſum, hãc antiquã ſcribendi rationẽ, vt in Latinos libros errores nõ paruos inuexit (quorũ exempla paulo antè protuli) ſic etiã apud Græcos eandem in Græcis ſcriptoribus non leuium mendorum cauſam fuiſſe. Nec aliunde tam turpiter deprauat⁹ eſt ille apud Demoſthenẽ locus,

in quo corrigendo ſe hactenus tam multi támque docti viri ſine fructu vllo torſerunt, quàm ex hoc antiquo ſcribendi modo: vt apertè in meis illis De origine mendorum libris oſtẽdã:ac,niſi longior de ea re ſermo futurus eſſet, iam nunc oſtenderem. Et hæc quidem in præſentia de illa vetuſta ſcribendi ratione E I pro I dicta ſufficiant. Cæterùm vt nõ vno modo ſcriptura antiquorũ à noſtra diſcrepabat, ita etiam locorũ non vno modo corrũpendorum cauſa fuit. Exempli cauſa: Vt multa alia compoſita verba, ita & Exſilio ſcribebant veteres librarii, primam ſimplicis verbi literam ſ retinentes. vide quid hinc acciderit: (ita enim ego cõiicio) quum apud Ciceronem in Oratione pro L. Flacco ita legeretur, *Quò quũ ueniſſet Lælius ad iratos, & illud Caſtricianum uulnus dicendo refricuiſſet, exſiluerunt principes, neque in illa concione adfuerunt*, putauit aliquis qui antiquam ſcribendi rationem cognitam nõ habebat, ſuperuacaneas eſſe duas illas literas & temere appoſitas *e* & *x*, ideóq; illis expũctis faciendum eſſe præteritũ *ſiluerunt*, à præſenti Sileo. & hæc ab éo facta lectio ad hunc vſq; diem in editionibus remãſit. quũ rectè eſſet *exſiluerunt*, ab Exſilio. ſi tamẽ nimis ἀρχαϊκῶς viſa fuiſſet retineri litera *ſ*, poterat, expungens non *ex* ſed *ſ*, legere *exiluerunt* ab Exilio. Quàm male autem lectio illa *ſiluerunt*, id eſt tacuerunt: contrà quàm bene hæc conueniat, *exiluerunt*, id eſt repente exierunt, antea oſtendi. Et hæc pauca è multis in hoc genere exempla protuliſſe ſit ſatis.

Dederunt verò librariis occaſionem errãdi etiam compendiariæ quæ vocãtur notæ. Verbi gratia: Quũ imperitus aliquis librarius apud Ciceronem libri 10 epiſt. ad fam. epiſtola 25 reperiret hæc ita ſcripta, *Nolo enim te ignorare quãtam laudem conſecutus ſis: mihi crede,*

proximam

proximam Flacco:idque ipſius Planci teſtimonio, prætereáque fama ſ͞niáque omnium, hæſitauit ſcriberétne *ſcientiáque omnium*,an *ſententiáque omnium*:&,quum imperitus eſſet,non artẽ,ſed caſum in deligenda non meliore ſed peiore lectione ſecutus eſt. quæ ad hũc vſque diẽ in omnibus quas quidem viderim editionibus habetur,atque adeo in Manutiana.Et vt pro *ſiã*,vel *ſcientia* vel *ſententia*,ita & pro *faclẽm*, temere vel *facultatem* vel *facilitatẽ* ſcribebãt. hinc eſt quòd in oratione pro Seſtio in quibuſdã libris etiam nũc legitur *ad perficiendi facultatem*, in aliis, *ad perficiendi facilitatem*.Sed eos qui hanc poſteriorem lectionem illi prætulerunt,libenter rogem, vbinam Ciceronem *facilitatem* in hac ſignificatione vſurpãtẽ animaduerterint.Quinetiã illæ compendiariæ notæ quibus præpoſitiones *per* & *pro* ſcribuntur,à librariis aut ignoratæ,aut nimis properante oculo inſpectæ, in libros Ciceronianos multa mẽdorum plauſtra inuexerunt.Hinc permutatæ inter ſe illæ ſcripturæ *perſcriptiones* & *proſcriptiones*, quarũ antè memini.item *perficere* & *proficere*,*perdito* & *prodito*. Sed & illæ notæ qualis eſt *tñ* pro *tamẽ*,errorum fuerunt cauſæ,dum notas duas,hanc quæ *tamen*,illã quæ *tantùm* indicat, aut imperitia, aut incuria non internoſcit librarius. Quod autem de vna dixi, de eiuſdẽ generis aliis dictum exiſtima.

Particulæ etiam locos multos corruperunt, alicubi male additæ,alicubi cõtrà male prætermiſſæ:itẽque aliæ aliarum locum occupãtes. Male additæ, aut malé prætermiſſæ, vt *non* ſæpiſſime in ſuperiorum temporum editionibus.at in recentioribus,codicum veterũ opera caſtigati fuerunt multi,nec tamẽ nulli

gi illa debebat, ex veteri libro indicaui in Orat. pro Sylla. Sic *aut* Tuſc 1, vacare videtur, illo loco, *Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut ignēū.* dico autem ex his tribus primum. Sic præpoſitio *in* atque cō iunctio *&* in antiquioribus editionibus ſæpe redundant, ſæpe deſunt. Poſitæ autē aliæ pro aliis: vt cadē *aut* pro *&* poſita reperitur alicubi. velut in Or. pro Quintio, habent quædam exemplaria, *Non eo dico C. Aquili, quaſi mihi ueniat in dubium tua fides aut conſtantia.* quum legendum ſit vt in recentioribus editionibus *fides & conſtantia.* non enim diſiungere hæc duo ſed copulare ſolet Cicero: vt etiam poeta quidam copulauit, quum diceret, Multū in amore fides, multū cōſtantia prodeſt. Quod autem voculæ *aut*, idem & illi ſynonymo *Vel* accidit. ſic De fin. lib. 3, legitur in omnibus fere editionibus, *Quæ uel ita appellemus (iderit uerbum è uerbo) uel promota, uel remota, uel ut &c.* quum legi debeat, *promota & remota.* neque enim eidem voci diuerſā hîc interpretationem tribuere vult Cicero: ſed poſtquam interpretatus eſt προηγμένα *promota*, contrarii vocabuli ἀποπροηγμένα interpretationē ei adiungit *remota.* Præterea *nec* pro *ne*, ſequente *quidem*, multis in locis poſitum inuenitur. Sed & ex duabus huius ipſius voculæ *ne* ſignificationibus interdū male vna pro altera habetur. vt libri 10 ep. ad Att. epiſtola 6, legitur in ſuperioribus editionibus, *tamen ne dubitemus an ei nos etiam cum periculo uenditemus, quicum cōiūcti ne cum præmio quidē uolumus eſſe.* quaſi illud *ne* ante *dubitemus* ſignificet μή: quum, vt in recentioribus, eo cum tamē iūcto, legi debeat, *tamēnne dubitemus.* Quod quum non intelligeretur à quibuſdam, deprauatū etiam fuit in *nec.* nam ſic in libris nonnullis legitur, *tamen nec dubitemus.* Quinetiā eadē particula poſt participium *coniuncti*, viciſſim in quibuſdam etiam recentioribus editionibus male coniungitur cum illo,

quũ diſiungi debeat. at quædam paulo antiquiores maiori etiam cum deprauatione habent *coniunctione, tum præmio, &c.* Sed manifeſtiſſima eſſe poterant illa menda vel mediocriter docto, illic quidem, quòd ſequeretur *an venditemus*: (quanquam videri potuiſſet potius dicendum fuiſſe *tamen dubitemúſne*) hîc autẽ, quòd ſequeretur *quidem*. at cõtingere poſſũt loci alii in quibus non tam manifeſtus ſit error: & ipſe quendam obſeruaui qui hactenus hoc modo mendoſus manſit, nõ ſine magna ſentẽtiæ iniuria: ſed mihi nũc ad manũ nõ eſt. Reperitur etiã particula *at* locum illi valde vicinæ *ac* occupans. vt lib. 10. epiſt. ad Att. epiſt. 4, ſtatim initio ferè, *At deplorandi quidem, quòd quotidie facimus, ſit iam nobis aut finis omnino, &c.* Sic enim in omnibus legitur editionibus: at illis omnibus alios omnes ipſius Ciceronis opponere poſſum locos: in quibus non At quidem, ſed Ac quidem vſurpat. Eſt enim inchoatiua, vt ita dicam, hæc particula: contrà At potius aduerſatiua, aut ἀποστροφῇ ſermonis, aut etiam eius concluſioni conueniens. quo ſæpe modo à poetis præſertim elegiacis vſurpata inuenitur, vt à Tibullo, Propertio, & poſt eos Ouidio: quod in meis in illos adnotationibus ſilentio nõ prætermiſi. Et huiuſmodi quidem errores videri minuti poſſint, quòd circa minutas verſentur particulas: at ſiquis Latini ſermonis proprietatem conſideret, & eius rationem habeat, maximos eſſe dicet. vtpote quibus nõ aptè poſitis, in Latinitatem peccetur grauiſſimé.

Magni præterea errores ex inuerſo ſyllabarũ aut etiã literarũ ſimplicium ordine reperiuntur, veluti *ut* pro *tu* pag. 58 ſic & *ius* & *uis* permutantur. vt in Orat.

cuius perturbato ordine. Sic verbum quoddam ſuæ ſede motum, libro 1. De natura deorum. (in ſuperiorum temporum editionibus) lectorem valde conturbare poſſit. ita enim in illis legitur, *Non enim ſumus ii quibus nihil uerum eſſe uideatur, ſed ii qui omnibus ueris falſa quædam adiuncta eſſe dicamus, tanta ſimilitudine ut in iis nulla inſit iudicandi & aſſentiendi nota. Ex quo exiſtit & illud, certa multa eſſe probabilia.* Hic enim *certa* quod præcedit *multa*, ante *iudicandi* eſſe debet. Quot autẽ antequã hæc caſtigatio inuenta fuiſſet, in inueſtigandis iſtis certis probabilibus ſe torſiſſe exiſtimamus? Et hæc quidẽ huius vocis metatheſis nõ in omnibus eſt editionibus: at lib. De diuin. 2, ita in omnibus legitur, *Totas noctes ſomniamus, neque ulla fere eſt qua non dormiamus: & miramur aliquando id quod ſomniamus euadere?* vbi ſenſum planè præpoſterum duorum verborũ ordo præpoſterus nobis facit. ita enim legendum eſt, permutato eorum vt loco, ita etiã modo, *Totas noctes dormimus: neque ulla fere eſt qua non ſomniemus.* in qua certe caſtigatione cõiecturam cuiuſdam amici mei comprobari veteris libri authoritate animaduerti. Sic & quatuor verba in Oratione pro Sylla, quæ ſuo loco mota erant cum magno ſententiæ incommodo, in eum ex veteri libro repoſita habuiſti antea, pag. 87. Sic & in quadam Philippica permutatæ ſunt ſedes non aliquot verborum, ſed integrarum ſententiarum. Quinetiam apud Virgilium (quis credat?) tales μεταθέσεις, tales apud Ouidium: tales, quod ad ſcriptores Græcos attinet, apud Herodotũ, tales apud Theocritũ reperiuntur. quas omnes in meis De origine mendorum libris prolatas aliquando (& propediem,) nõ ſine magno tuorum ſtudiorũ commodo habebis.

Deprauationem Ciceronianorum librorum adiuuerunt etiam Græca verba, primùm quidem quæ Græca manſerunt, ſed tamen Latinis ſcripta literis:

deinde verò facta Latina nõ literis tenus,ſed & ſigni ficatione:quum in iis videlicet detortum etiam aliquid fuiſſet. Vel hoc multorum inſtar exemplum eſſe poſſit. legitur enim apud Ciceronem in extrema epiſtola 1.lib.15.ad Att. *Sed ſi recordabere Δημοσθένους fulmina,tum intelliges poſſe & ἀττικώτατα grauiſſimè dici.* Scripſerat librarius aliquis qui characteres Græcos effingere non nouerat,*atticotata*.ſuperuenit quidam παραδιορθωτὴς,qui quum videret nihil hoc verbum auribus Latinorum ſonare,& Græcum eſſe, ſed Latinos characteres mutuatum,non intelligeret,vt quãtumuis abſurdum ſenſum,dummodo aliquem,efficeret, mutauit ἀττικώτατα *Atticotata* in Attico tota. I nũc & diu multúmque cõſidera quæ ſententia ſit huius loci,*poſſe & Attico tota grauiſſimè dici*.Sed hic locus, vt alii nõnulli, in recẽtioribus editionibus caſtigat' reperitur.At illud γῆν *pro* γῆς,epiſt. 10.lib.14.ad Att. poſita præpoſitione Latina *pro* in locum πρὸ, etiam in multis recentiorum remanſit, atque adeo in illa quæ nuperrime exiit.vnam tãtùmvidi in qua rectè legatur γῆν πρὸ γῆς. ſed vtrãuis præpoſitionem ſiue *pro* Lat.ſiue πρὸ Gr.exhibuiſſet, perinde mihi fuiſſet.quũ nihilo magis huic quàm illi conuenientem appoſuerit interpretationem,hanc,vt γῆν πρὸ γῆς ſignificet terram terræ anteponendã. Verùm in hanc interpretationem, vt & in alias multas quæ ibidem habentur,huius loci non eſt inquirere.

Diſtinctiones quoque perperã poſitæ,locos quoſdã deprauarunt. ex quibus multi,ſed non omnes tamen,correcti fuerunt. Exemplum vnum proferam. Libro 1.Tuſcul. ita legitur in omnibus editionibus,

eſt poſt *ſunt*,poſt *nuſquam* poſueris,ex obſcuriſſima, imò verò apertiſſimè abſurda,manifeſtiſſimè rationi atque præcedẽtibus ac ſequẽtibus conſentaneam habueris ſententiam: interpungens hoc modo, *Si enim ſunt nuſquam,eſſe non poſſunt.* Quum enim dixiſſet, *Quem locum incolunt?* addit,Si enim nullo in loco ſunt, eſſe nõ poſſũt.Siquidẽ apud philoſophos hæc firma ſẽper manẽt, πᾶν τὸ ὂν, ἐν τόπῳ ἐστί.&, οὐδὲν ἐνεργεῖ ἐν ᾧ οὐκ ἔστι.Vnde & feſtiui illius ſophiſmatis Erophili medici aduerſus Diodorum cognomẽto Cronum captata fuit occaſio.

Accidit etiã idem in Ciceronis quod in aliorũ libris, vt videlicet in eius cõtextu ſuppoſititia multa eſſent,quæ ex margine irrepſiſſent in cõtextum. Et purgatæ quidem,quod ad hæc attinet,fuerunt ſuperiores editiones,ſed non certè perpurgatæ.nonnulla enim huiuſmodi verba in omnibus recentioribus editionibus etiam nunc reperire poſſimus. & iam quidem antea de quodam ita deprauato loco te admonui: ſed & alium quendam proferre nunc libet ex lib.de Diuin.2. ibi enim habẽtur hæc verba, *Tum verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur.ut in quibuſdam Ennianis,quæ Ennius fecit.* Ex quibus verbis quis hæc tria *quæ Ennius fecit*,redundare non videt?& cui vlla,præſertim quũ in veteri libro non habeantur,dubitatio de iis relinquatur? Aliunde autẽ quàm ex margine,aut interlineari,vt barbarè loquuntur,gloſſa,in contextũ irrepſiſſe, ſuſpicari minimè poſſum. Sed veniam tamen multo meretur magis horum peccatum qui bonum cũ malo dãtes,& ipſum Ciceronis verbũ in cõtextu poſuerũt,& illi præceptoris alicuius expoſitionẽ appoſuerunt:quàm illorũ qui in Ciceroniani vocabuli locũ,dictatam in illudà magiſtro explicationẽ ſubſtituerunt. vt Quæſt. Tuſc.quodã loco habe-

tur QVIA in multis exēplaribus pro SI. quòd dixiſſet præceptor quidam SI accipi pro QVIA.

Alia igitur aliā habuerūt originē errata: ſed præcipuum eorū ſemen, præcipuā eorum ſegetē ac materiā puto fuiſſe ignorantiā. quæ mira mōſtra in libros inuexit: & inuehet profectò, ni imperitorū audaciæ obuiā ire typographi tandē cœperint. Verūtamen quid ex ea euenturum ſit, neſcio: peiora certè quàm acciderint, nō poſſe accidere exiſtimo. quæ talia ſunt, vt ego ea horreſcam referens, ideóque eorum mentionē nonniſi perinuitus faciā. At enim in meis De origine mendorū libris ea cōmemorādi impoſita mihi neceſſitas fuit. vnde & petere tibi, Deo iuuāte, breui licebit: ſicut & alia multa à me hîc prætermiſſa. Sed quæ hoc libro cōtinentur tamen (quātuluſcunque is eſt) ſatis multa fuerint fortaſſe, dummodo ſatis bona. id eſt, dūmodo titulo ſuo reſpondeāt. Quid ſi verò multæ caſtigationū mearū caſtigationibus ipſæ opus habeant, & dū errores corrigere volui, errare me ipſe non ſenſi dū διορθωτὴν eſſe me putaui, ἔλαθον παρὰ διορθωτὴς γινόμενος; Certè ſiquis me erraſſe mihi nūtiauerit, nequaquā ille inopinato nuntio aures meas feriiſſe dici poterit. & quiſquis in errore verſari me & verſatum eſſe dixerit, nō aliud quàm hoc à me reſpōſum feret, Homo ſum: humani à me nihil alienū puto. Cuiuſuis enim hominis eſt, errare, labi, falli. Quod dictū ſuo exēplo comprobarūt veteres etiam, quorū quidem ad nos ſcripta peruenerūt, omnes: ſed cōprobant huius ſeculi ſcriptores multo magis. Quotuſquiſque eſt enim qui, ſi verū fateri velit, poſtridie quàm ſuū librū edidit, quod in eo reprehendat, reperire ſe non dicat...

ſuis cernit acutum. ſed illi viciſſim, ſiquā ſuam ſcriptionē ediderit, non longè abeundum eſt, vt qui par pari relaturus ſit, inueniat. Adeo vt quicūque hodie ſcribimus, aliud nihil faciamus quā quod dixit poeta quidā, Cædimus, inque vicē præbemus terga ſagittis. Sed me tamen hæc à ſcribendo minimè deterrent. homo enim eſſe, id eſt errare, non erubeſco: at inſipiens eſſe, id eſt in errore perſeuerare, hoc verò ſummopere pertimeſco, vel potius exhorreſco. Et hoc quidē excuſare nullo modo nec poſſum, nec volo: at illud an in vllo magis quàm in me excuſabile ſit, neſcio. nec enim ego illam tantùm generalem excuſationē afferre queam, quòd homo ſim (id eſt, à natura hoc habeā, vt errare & allucinari poſſim) ſed alias, ſi nō mihi peculiares, at certè cum paucioribus communes: nimirum & iuuenilē ætatē, & typographicas occupationes (quæ quantæ ſint, teſtabūtur prodeuntes ex officina noſtra libri) &, quod ſtudiis maximè aduerſatur, aſſiduā de re domeſtica ac familiari curā ac ſollicitudinē. Verùm hæc me ſpes ſolatur, quòd αἰεὶ non γηράσκω, ſed ἡβάσκω πολλὰ διδασκόμενος. adeo vt quin hominis more erraturus ſim, minimè dubitem: ſed inſipientis more in errore non perſeueraturum me, confidam. Hinc fit denique vt euenturū ſperem quod hoc diſticho nuper de quibuſdam meis poeticis opuſculis cecini

Emendare queat iuuenilia ſcripta ſeneſcens
Scriptor: ni pereant illa vel ille prius.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE